VITA, ET VIRTUTES MARIAE ANNAE PORTUGALLIAE, ET ALGARBIAE...

Joseph Ritter



VITA, ET VIRTUTES MARIÆ ANNÆ PORTUGALLIÆ, ET ALGARBIÆ REGINÆ,

NATÆ

REGIÆ PRINCIPIS

HUNGARIÆ, ET BOHEMIÆ, ARCHI-DUCIS AUSTRIÆ &c.&c.

CONSCRIPTA

A

P. JOSEPHO RITTER,
SOCIETATIS JESU SACERDOTE,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORE.

VIENNÆ AUSTRIÆ,
LITTERIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER,
CÆS. ET REG. TYPOGRAPHI, ET
BIBLIOPOLÆ ANNO MDCCLVI.

SERENISSIMO, POTENTISSIMO,

E T

FIDELISSIMO

PRINCIPI,

AC

DOMINO, DOMINO

JOSEPHO I.

PORTUGALLIÆ, ET ALGARBIÆ

REGI

CIS, ET ULTRA MARE,
IN AFRICA DOMINO GUINEÆ,
INQUISITIONIS, NAVIGATIONIS,
COMMERCII,

ÆTHIOPIÆ, ARABIÆ, PERSIÆ,
INDIÆQUE, &c, &c.

DOMINO, DOMINO

CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME
FIDELISSIME
REX.

Honoris quoddam tributum eſt, *a* TE *imperatum*, *quod ad Majeſtatis* TUÆ *thronum*,

REX *Fideliſſime*, *de genibus dependo. Vitam, Virtutesque* MARIÆ, ANNÆ, *Sereniſſimae Matris* TUÆ, *quam conſtantiſſima pietate, cultu, obſequio, amore ad obitum uſque proſecutus es, paucis complexus ſum, ut redivivam quodammodo Majeſtati* TUÆ *ſiſterem, quae ex Animo* TUO *nunquam deceſſit. Honoris tributum appello: Quid enim inter innumera, quae munificentiſſimi Dei bonitas in* TE *congeſſit, decora, ac ornamenta, ad gloriam Regii Nominis* TUI *tam inſigne eſt, ac*

eſſe

eſſe TE Filium tantae Ma-
tris, quae a Sanctiſſimis Pa-
rentibus, Leopoldo Magno Im-
peratore, & Eleonora, Mag-
dalena, Thereſia progenita,
Auguſtiſſimorum Fratrum Jo-
ſephi I. ac Caroli VI. Soror
Germana, ſuis, ac Majorum
virtutibus vere Regiis ita efful-
ſit, ut pulcherrimo Illam no-
mine, uno perpetuoque conſen-
ſu & Luſitania, & India Eli-
ſabetham alteram appellaret?
Tanto a ſanguine, tantae Ma-
tris ab educatione, quantus es
REX Maxime! Religio, ac
Pietas non Regno magis TUO,

quam orbi nota est: Divini cultus firmandi, ac propagandi ardor jam ad Sinas usque penetravit, quos sub primordia statim Regni TUI *sumptuosissima Legatione aequiores Christianae rei reddere studuisti. Quod aequitatis, quod justitiae studium, quae publici boni cura esset, jam olim documenta dedisti. Quod Goana India, quod Africae littora, Brasilia, totque Lusitanici juris per Oceanum sparsae Insulae commodis suis, ac securitate gaudeant,* TUÆ *providentiae debent, in eorum praesidia, & emolumenta semper*

vi-

vigili. Mentis illam aciem, qua rem publicam complecteris, semper quidem suspeximus; Animum illum tamen TUUM clementem, benignum, facilem, munificum, qui TE, vel si REX natus non esses, Regno dignum ostenderet, nemo non vidit, nemo non amavit. At tristissimus ille casus, qui nuper Lusitaniam omnem concussit, multa nobis detexit, quae admirationem maximam de TE praebent. Quis enim non videat, quantum salus TUA Deo cordi fuerit, qui Majestatem TUAM, Regiamque Domum omnem,

arcano miſericordiſſimae pietatis ſuae conſilio, extra urbem, ſuis mox ruinis ſepeliendam, ſalvam, ac incolumem reſervavit? Quis non videat Deum, qui vel iratus, miſericordiae recordatur, inter horrenda illa conquaſſatae urbis buſta, & rudera populo ſuo ſpem feciſſe reparandae a ruinis urbis ſuae, cum ſoſpitem praeſtaret REGEM, *a quo ſubjectorum nemo non, ſibi opem, ac ſubſidium polliceretur? Et vero in tanta rerum perturbatione admirabilior apparebat Regius ille Animus* TUUS, *qui quam*

ſub-

submissus erga Deum, tam erectus, & constans inter illam aedium, hominumque stragem, nihil sibi timendum magis putabat, ac ne terroribus circumseptus, ab officio boni Principis impediretur. Adorabas TU *quidem, qua par erat, reverentia, Divina de* TE, *Regnoque* TUO *consilia, & in omnes casus communi illi rerum Domino* TE *offerebas; sed quod* TUARUM *erat partium, ad juvandos omni ope cives curam, cogitationemque conferebas.* TUO *itaque imperio alii semineces e parietum ruinis extra-*

tracti, alii murorum labe oppressi ad Christianam sepulturam terrae mandati. Eadem TUA *providentia, & Magistratuum solertia egenti, famentique populo annona praebita, ac unde, unde poterat, res frumentaria in publicum usum expedita. Consulendum erat privatis, publicisque plurimorum fortunis, his quoque appositis fidis excubiis per* TE *cautum. Juvandi alii fatali illo casu ad inopiam redacti: ad hos quoque numero pene innumerabiles Regia* TUA, *imo Paterna potius pietas, ac libe-*

ra-

ralitas est extensa. Quid non industria TUA perfecit? disjecti caduci domuum parietes, ne labe sua ruinam impellerent, repurgata fora, vici, ac plateae lapidum acervis oppletae, ad usus publicos aptatae; ac ne Christiana pietas, ac Divina officia detrimenti aliquid acciperent, TUO imperio, ac praesenti auxilio Templa aut jam non nulla sacros ad usus accommodata, aut alia interea erecta. Haec qui vident, qui sentiunt, quo TE loco habere debent Principem bono publico unice intentum, & in adversa

aeque

aeque, ac prospera fortuna Optimi, Religiosissimi, Providentissimi REGIS *nomen pro merito adeptum? Videt haec supernis de sedibus, in quas Illam jam receptam nemo dubitat, Sanctissima* MATER TUA, & *tanto de Filio sibi gratulatur; quemque non tam peperit, quam suae pietatis, sapientiae, sanctitatisque exemplis ad tam illustrem gloriam provexit, majoribus indies studiis prosequetur: illud quoque suis apud Divinum Numen precibus efficiet, ut quem tam atroci procella infractum, & su-*

pe-

periorem vidimus, Eundem ſe-cundiori deinceps e caelo ſorte fruentem perpetuo gaudeamus. Id quod devotiſſimo affectu optat

Majeſtatis Tuæ Fideliſſimæ

Capellanus infimus

JOSEPHUS RITTER
Soc. Jesu.

PROOEMIUM.

Fallunt quidem perſæpe humana judicia, ſed diu non fallunt: fucata vir- tus, quamcunque probitatis ſpe- ciem induat, quibuscunque ſimula- tionum integumentis ſe involvat, fumo ſe tandem ſuo prodit, & veri judicium ſuſpendere poteſt, tollere non poteſt. Nullum contra in hu- manis certius virtutis teſtimonium, quam conſtans, & æquabile judi- cium, bonorum omnium conſenſu,

& diuturnitate temporis confirmatum. De MARIA ANNA serenissima Regina sua, quid senserit Lusitania, tum etiam, cum peregrina advectam classe primis officiis salutaret, norunt senes quique, qui ut Regiæ quoddam Mentis, Probitatis, Clementiæ simulacrum venerabunda Eam admiratione intuebantur. Erat in magna expectatione Indoles tanta tum adhuc, cum Ulyssipone procul, terra, marique jactaretur, quod ex Augusto illo LEOPOLDI MAGNI, ac ELEONORÆ, MAGDALENÆ, THERESIÆ conjugio, cui nihil par in tanto fastigio aut morum sanctitate, aut animorum conjunctione, diu Orbis vidit, non nisi cælo digna soboles, & virtute Augustis Parentibus simillima sperari posset. Sed cum præsentem jam Reginæ vultum, & blan-

blandientem ipſa oris majeſtate gratiam ſpectarent cominus, cum affuſæ ſubinde ad aras teneram pietatem, & ſpirantem ex oculis, verbisque animi candorem, ac modeſtiam, cum molles aditus, & obviam ſummis, infimisque comitatem contemplarentur, conceptam prius animo, quantamvis Reginæ ſuæ ſpeciem vera minorem agnovere. Id vero primi temporis de Ea judicium aliis quotidie, aliisque inuſitatæ virtutis exemplis ita deinceps auctum eſt, ut obſervata per annos ſex, & quadraginta tanta vitæ, morumque æquabilitate, paſſim REGINA SANCTA, & altera LUSITANIÆ ELISABETHA diceretur.

Qui penitiorem jam inde ab ineunte ætate MARIÆ ANNÆ Reginæ cognitionem habuere, non verebantur dicere, ex-

pressam se in Ejus moribus Augustissimorum Parentum imaginem legere, ad quorum imitationem, non tam nativi sanguinis ductu, quam judicio, ac voluntate accessisset. Itaque quæ LEOPOLDUM Patrem animi bona, immota in Deum fides, in superos religio, æquabilis inter prospera, adversaque mentis tranquillitas, constans recti amor, ac boni publici studium, temperatum ex justitia, & clementia imperium, morum gravitas, sanctitasque majestatis sine fastu secura, magnum effecere: quæ deinde ELEONORAM Matrem charam cælo, charam Augusto conjugi, Regnis, populisque salutarem reddidere, contestata per omnia religionis officia in Deum, cælitesque pietas, morum candor, ac suavitas, conjugalis fides, & ambitiosa obsequii charitas, solicita

in liberos pietas, nativa quædam in omnes benignitas, in pauperes, & calamitoſos miſericordia, quæ nullis ſe moleſtiis, ac incommodis vinci pateretur; eadem MARIA ANNA Regina, manaturo in poſteros exemplo, in ſeſe exprimere quam vivaciſſime ſatagebat.

Hæc cum veriſſime dicerentur ab iis, qui exteriorem tantum operum faciem intuebantur; mihi quid cogitandum, cui pro confeſſarii munere, qua dignatione ſupra meritum apud ſereniſſimam Reginam eram, non modo operum, ſed piorum etiam conſiliorum arbiter, per annos tredecim intimos animi ſenſus, ipſosque adeo operandi fines inſpicere licebat? Equidem cum animo mecum reputo, quæ fuerit interior animæ tam ſanctæ ſpecies, quæ dona gratiæ, quæ virtutum ornamenta, Dei largitoris adoro pro-

fuſam liberalitatem, qui cæleſtis ſuæ gratiæ theſauros tam uberes in hanc Reginam congeſſit. Optabam ſane dudum, ſi per Reginæ modeſtiam licuiſſet, efferre in publicum, quæ mirari ſatis unus non poteram: ſed ubi beato Ejus obitu metus ille deceſſit, revixit quodammodo reſtinctus ardor vulgandi Reginæ tam ſingularis decora, ſic, ut pene injuriam publico facturum me vererer, ſi, quæ memoriam immortalem merentur, ſilentio premerem, nec tantam virtutem ab oblivione vindicarem. Sed enim cum ſenſum animi mei adæquare verbis nullis poſſem, & vel rudi colore virtutem adumbrare tantam, rem viribus majorem facile providerem, anceps conſilii diu hæſi. Cunctantem nutus, ac imperium Fideliſſimi Luſitaniæ Regis, JOSEPHI I. ac ſereniſſimæ MARIÆ BAR-

BA-

BARÆ, Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ, impulere, qui cum ſereniſſimo Infante PETRO, universaque Luſitania dudum optabant, extare tantæ Reginæ Matris, ac Dominæ ſuæ, publicum quoddam vitæ, virtutumque Ejus teſtimonium, tum ad ſuam, Regnique Fideliſſimi gloriam, tum ad exemplum eorum, qui ſancto itinere a Regnis, & Coronis, ad Regnum ſempiternum trito jam veſtigio ire contendunt.

His cum obſequioſe morem gero, illud ante omnia profiteor, me in tanta ubertate laudis nihil veris affingere, nihil exaggeratius ſupra fidem, modumque afferre: neque enim mihi tam iniquus ſum, ut committere literis auderem, quod vel a vero alienum fidem ſcribenti deroget, ſuperſtite præſertim, ac rerum conſcia ſere-

nissima Familia Regia, totaque, in cujus luce vixit nuperrime, Lusitania refragante, vel amplificationis quodam artificio in majus auctum; quod vel personam, quam ut ut indignus gessi, vel ætatem hanc meam dedeceret: quidquid deinde allaturus sum, aut ex quotidiano cum serenissima Regina usu, aut ex verbis Ejusdem, & collatis mecum vitæ suæ rationibus accepi. Sed cum de fide mea polliceri possim, illud tamen certissimum habeo, quidquid de Reginæ hujus Excellenti virtute scripturus sum, longe infra Ejusdem merita futurum, ac ne nunc quidem, quam conceptam ipse animo circumfero, virtutum Ejus imaginem æquaturum.

VITA

VITA, ET VIRTUTES MARIÆ ANNÆ.

CAPUT I.

Ortus MARIÆ ANNÆ, & primæ ætatis decursus.

Quod inter densos imbres Iridis conspectus, hoc inter atram, quæ Christiano orbi minabatur, belli tempestatem, ortus MARIÆ ANNÆ Archi-Ducis Austriæ videbatur. Annus agebatur sæculi de-

decimi ſeptimi tertius ſupra octogeſimum. cum innumerabilis Turcarum, & Tartarorum exercitus, Commaromium & Jaurinum, munitas urbes, prætervectus, recto itinere in Auſtriam ſe infunderet, caput rerum, ac ſedem Imperii Viennam Urbem primo impetu oppreſſurus. Sex non amplius horarum itinere ſeptima menſis Julii die, ab urbe aberat hoſtile barbarorum agmen, ad muniendam Turcico exercitui viam in Auſtriam præmiſſum; cum eadem die, ſerum jam ſub veſperum, transmiſſo ponte Danubio, Leopoldus Imperator cum Auguſta Conjuge, ſeptem jam menſes gravida, Regiaque ſobole, in adverſum littus evaſit, Lincium, principem ſuperioris Auſtriæ urbem, quo rebus pene perditis e propinquo conſuleret, petiturus. Hac nunc in urbe ſeptima die Septem-

ptembris, qua pervigilium natæ in ſalutem Orbis Dei Parentis Virginis erat, cum exactis pene jam duobus toleratæ obſidionis menſibus, Vienna a ſummo periculo abeſſe proxime videretur, primam MARIA ANNA lucem aſpexit, & ſub noctem miſſiles quinque ignes e monte Cetio conſpecti, periclitanti Urbi adfuturi quinto poſt die auxilii indicium fecere.

Aberat jam Lincio Leopoldus Imperator, commendata Deo, ſuperiſque præſtitibus Auguſta Conjuge, primo mane navali itinere Direnſteinam profectus, ut caſtris Cæſareis, quæ Imperialibus, ac Polonicis jam aucta erant copiis, propinquior eſſet; cum non multo poſt relicta Lincii Auguſta puerpera ſingulari felicitate prolem enixa eſt, & quod pene pro miraculo erat, tot inter ter-

ro-

rores, & itineris molestias, sanam, vegetam, & ipso vultu alacre quiddam, ac vitale præferentem. Expediti confestim ad Augustissimum Parentem, & quoquo officii, aut propinqui sanguinis ratio suadebat, cursores nuncii: proles ipsa a meridie, pro laudato more Augustæ Domus Baptismum nunquam differre solitæ, hora quinta ab Eminentissimo Cardinali Bonvisio, Apostolicæ sedis Nuncio, sponsore lustrico serenissimo Electore, ac Duce Bavariæ, Maximiliano Emmanuele, Christiano ritu sacro fonte est abluta. Nomina Archi-Duci imposita: MARIA, ANNA, JOSEPHA, ANTONIA, REGINA, quæ postrema duo ominis aliquid habere quibusdam visa sunt, Mariam Annam Reginam aliquando Ulyssipone, ubi S. Antonius natus

tus eſt, eſſe futuram. Commemorabile hoc loco eſt religioſæ de ſe victoriæ exemplum, quod Auguſta Mater, partu tam feliciter defuncta, de ſe præbuit. Optabat illa in partem venire glorioſæ adverſus Chriſtiani nominis hoſtes militiæ: ergo ut Chriſtiano milite ad Viennæ mœnia fortiter decertante, ſymbolam & ipſa conferret ſuam, bellam hanc vincendi ſe occaſionem arripuit, atque ut aliquod de materno animo ſacrificium Deo Exercituum Domino libaret, pluribus, dum abeſſet Cæſar, hebdomadis, prolis ſereniſſimæ conſpectu oculos defraudavit.

Prima infantiæ ætatula decurſa, cum primum ſe rationis lumen in MARIA ANNA Archi-Duce aperiret, prior nulla, potiorqueu Aguſtiſſimorum Parentum cura erat, quam ut Deum authorem agno-

agnoſceret, & balbutiente adhuc lingua invocaret. Leopoldus ipſe non infra majeſtatem ducebat ſuam, educandæ Auguſtæ Soboli præcepta præſcribere, & quid quavis hora, quibus magiſtris, ac præceptoribus docenda eſſet, ordinare. Aderat ſervandorum cuſtos aſſidua, quæ præter Deum, cælumque ſpirabat nihil; Mater Auguſta, & exemplo magis, quam verbo, religioſa omnia in Deum officia liberos edocebat. Creſcente ætatula ad Chriſtianæ doctrinæ, ac prima literarum elementa, linguarum paulatim Latinæ, Italicæ, & earum, quæ Regiam decerent fortunam, puellarium artium ſtudia adjungebantur. Quibus in rebus MARIA ANNA Archi-Dux, ut erat vivaci indole, & ingenio, ac memoria præſtabat, Auguſtis Parentibus ita operam probabat

ſuam

ſuam, ut & morum Ejus, & diſciplinarum docilitate mirifica ſe oblectarent. Frequens id erat, & ſuaviſſimum oblectationis genus Leopoldo, cum a curis Imperii liberius nanciſceretur otium, videre prodeuntem in ſcenam, aut chorum Filiam, aut modulis muſicis qua voce, qua cymbalo accinentem. Sed hæc inter puellares annos.

Adoleſcentiam cum doctrinarum ſtudia, tum eæ maxime, quæ totam deinceps ætatem occupaturæ eſſent, religionis, ac pietatis exercitationes commendabant. Præibat Auguſta Mater, quæ vitæ detractum putabat, quidquid temporis non in cultum Divinum, aut pietatis opera expendebatur. Hujus nunc ductu, exemploque ſingulos pene dies Archi-Duces, feſtos ſibi omni religionis officio reddebant.

Quo-

Quotidie duobus, tribusve sacrificiis continenter interererant, flexis semper humi genibus, oculisque ad Divina intentis, ut incommodus is corporis situs longa assuetudine pene in naturam verteretur. Præter horarias sacerdotum preces jungebantur aliæ, quas vel diei religio, vel Divinæ Matris, ac sanctorum cultus suggerebat. Nulla pene in urbe, vel extra urbem erat statio sancti alicujus memoria celebrior, quo non Mater Augusta Archi-Duces filias secum duceret, ut loci religionem sua præsentia augerent. Divinorum mysteriorum tam frequens erat, vel in Palatii sacello usus, raro ut hebdomas præteriret, qua non semel, iterumque Divino epulo convivæ accumberent.

Illud in MARIA ANNA ad laudem singulare, quod ab in-

eun-

eunte ætate ſeſe aſſuefecerit, ſive ad exomologeſin, ſive ad ſynaxin ſacram ita accedere, ut ſi is cæleſtium ſacramentorum uſus ſibi in vita foret ultimus. Incredibile eſt, quo piarum lectionum, commentationumque ſtudio ſe ad ſumenda dignius tremenda hæc myſteria compararet, quo fidei, ſpei, & charitatis ardore ad ea aſpiraret, qua demiſſione animi, qua ſenſuum compoſitione ea ſuſciperet, quam alienata a creatis rebus mente in uno cæleſtium bonorum fonte Deo, in ſacramento ſibi præſente acquieſceret. Magnam illi ad hæc facilitatem præbebat librorum piorum, ſeu qui meditandi argumenta, ſeu qui precandi formam ſuggererent, lectio, quos a tenera jam ætate, quotidiano uſu, ita familiares ſibi reddidit, ut in ſuccum quodammodo, & ſanguinem ver-

teret ſuum, nec deeſſent unquam verba, quibus cum Deo & ſuaviſſime, & diutiſſime colloqueretur.

Atque ex hac tam crebra, tam familiari cum Deo conjunctione exiſtebat animi ille nitor ab omni culpæ gravioris labe puriſſimus, quem non morum tantum innocentia, ſed magnis virtutibus, & ſanctis deſideriis tota deinceps vita conſervavit: inde conſcientiæ illa teneritudo, quæ ne leviſſimos quidem vitæ quotidianæ nævos hærere in animo diutius pateretur: inde intaminata illa vitæ integritas, ut in quotidiana cognitione ſui vix inveniret, quod aſſuetum jam ſanctioribus ſtudiis animum vel leviſſime remorderet. Is fructus erat primæ, & ſanctiſſimæ inſtitutionis ſuæ, ut quæ a teneris didiciſſet Deum amare unice, ac timere, ejusque obſequio omnia poſthabere.

Hac

Hac impreſſa animo ratione, ratum apud ſe, fixùmque habebat, nihil unquam admittere, quod Deo diſpliceret; nihil omittere, quod ad ejus cultum, & obſequium majus in ſe, aliiſque promovendum, & augendum faceret. Quod quam fideliter tota deinceps vita qua exemplo, qua auctoritate præſtiterit, ex dicendis manifeſtum erit.

Pietati in Deum, pietatem in Parentes junxit maximam, quam non renutu modo, ſed adductiore etiam vultu lædere formidabat. Et quanquam imperantium Majeſtas, & quod amari ſe ſentiebat, obſequium facile, & omne pietatis officium perſuaderent; incidebant tamen non nunquam tam abhorrentia a genio imperia, quibus ſatisfacere ſine inſigni ſui victoria non poſſet. Sed quæ animum ſemper in poteſtate habebat Archi-

Dux, imperata non obſequioſe modo, ſed alacriter exhauriebat. Si quid interdum, ut in puellari adhuc ætate, per judicii infirmitatem, in verbo, in geſtu, in inceſſu exerraſſet, gravemque mox Magiſtram, & ſeveræ proximam ſentiret Auguſtam Matrem; non excuſare factum, id quod ſæpe poterat, ſed verecundo tandem pudore, & humentibus oculis reſpondere pro ſe ſolebat. Inſederat enimvero jam tum Ejus animo tam eximia Auguſtæ Virtutis, ac ſanctimoniæ ſpecies, ut in Matre etiam, eademque Imperatrice, majus aliquid, quam quod oculis cerni poſſet, ſanctiuſque ſibi intueri videretur. Hanc ut pietatis, gravitatis, virtutumque omnium ſpirantem imaginem, ac Magiſtram præſens adhuc reverebatur unice, ac mirabatur; ita abſens quoque, & jam Regina,

ac

ac Mater ipſa, in oculis ubique, ac animo ferebat, piaculi inſtar habitura, ſi qua in re ab ejus vel monitis, vel exemplis recederet. De Leopoldo Magno Patre Auguſto, nihil eſt, quod addam: cui cum ſe, ſuaque, pro ſumma ejus ſapientia, probare cuperet maxime, nihil erat, quod non ejus cauſa, & ſtudioſe ageret, & libenter. Et erat is Leopoldus, cujus Clementiſſimus obtutus ciere omnium animos, & imperare ſui amorem, ac venerationem poſſet: ut proinde beatiſſimam tum putaret ſe Archi-Dux Filia, cum quamproxime, & frequentiſſime Auguſto Pătri adeſſe illi liceret. Sed enim tanto ſolatio, ac præſidio brevi in perpetuum carendum erat Mariæ Annæ Archi-Duci, LEOPOLDO Auguſto, meritis, ac virtutibus Magno, anno ſæculi hujus quinto,

quinta Maii, poſtquam Auguſtam Sobolem, & in hac mæſtiſſimam quoque ejus obitu MARIAM ANNAM Filiam, ad ſupremum manus oſculum admiſiſſet, terris ſubducto, & triſte ſui deſiderium Regnis, ac populis, luctum immenſum Auguſtæ Domui relinquente.

Quod ſolatii genus reſtabat unum, præter Auguſtam Matrem, acerbiſſimo & ipſam mærore pene confectam, JOSEPHUS Frater erat Imperator jam, & Auguſtus, ac ſorores duæ Archi-Duces, non ſanguine, quam animorum conſenſione conjunctiſſimæ (Fratrum enim alter, CAROLUS, in Imperium & ipſe poſt ſexennium ſucceſſurus, procul in Hiſpania aberat, & curam potius augere, quam lenire dolorem ſororibus poterat) quas tam concordes ſanguinis communio, morum,

in-

ingeniorum, ſtudiorumque ſimilitudo effecerat, una ea contentio tenebat, altera ut alteram omnibus amoris, honoriſque officiis ſuperaret. Ad recte, ſancteque agendum idem omnibus, ac commune conſilium, quanquam piorum operum pene nihil erat, in quo non ducem, ac magiſtram Matrem Auguſtiſſimam haberent. Hac voluntatum conſociatione utebantur, quam diu ſimul erant: eandem abſentes etiam, & a ſe invicem divulſæ, hebdomadariis poſtea literis, quas ex candore ipſo, ac ſuavitate, & quod lætorum nihil, triſtiumque reticerent, ſororias eſſe agnoſceres, alebant jugiter, ac fovebant.

CAPUT II.

A JOANNE V

Lusitaniæ Rege in matrimonium petitur, & obtinetur.

Quartum interea, ac vigesimum ætatis explerat annum MARIA ANNA Archi-Dux, incerta adhuc, cui vitæ generi esset addicenda; parata tamen animo, quoquo motu Divino, & Matris Augustæ sapienti arbitrio, vocaretur. Norat enim, id quod sæpe repetebat, Regiæ fortunæ Virgines boni publici esse victimas, & pro talibus gerere se debere: licere aliis genio suo, licere sancto ardori in capessendo vitæ genere liberius obsequi; istis, quæ se publico bono natas scirent, non licere privati commodi rationem ducere, sed publicæ rei, secluso proprio arbitrio, de-

devovere ſe penitus, ac ſine exceptione debere.

Hac comparatione animi cum neutram in partem propenderet MARIA ANNA Archi-Dux, ſed Divinæ tantum voluntatis nutum, Auguſta Matre interprete expectaret; Æternæ Menti viſum ad multorum ſalutem, ut PETRUS II. Rex Luſitaniæ, quo & Regno, novo, multiplicique fœdere, & Regiæ Domus honori, petita a principe Europæ familia Filio ſuo JOANNI ſponſa, conſuleret, de jungenda inter Eum, & MARIAM ANNAM Auſtriacam domeſtica ſocietate cogitaret. Jamque eum in finem deſignatus Regius Orator erat Excellentiſſimus de Villa-major, Ferdinandus Telles de Sylva, qui & JOSEPHO I. de translato in ſe, poſt Leopoldi Magni obitum, Roma-

no Imperio gratularetur, & serenissimam sororem Ejus MARIAM ANNAM JOANNI Filio suo, & Regni Hæredi, sponsam peteret. Moram consilio injecit intempestivus PETRI II. Gloriosissimæ Memoriæ Lusitaniæ Regis obitus, paucos post menses die nona Decembris anno MDCCVI. consecutus.

Quare dilata in sequentis anni septembrem mensem legatio, quo Orator idem, confirmata sibi a Rege novo, sponsoque, JOANNE V. sanciendorum sponsalium pactorum potestate, in viam se dedit. Sed quod multa præterea in Anglia, & Hollandia ab eo transigenda erant, post exactos eo in itinere plures menses, Viennam nonnisi Anno MDCCVIII. attigit. Ingressus urbem magnificentia raro ad eam diem visa, a JOSE-

PHO

PHO Imperatore, & ELEONORA MAGDALENA THERESIA, Vidua Augusta, Clementissime auditus est. Aberat interim serenissima Archi - Dux MARIA ANNA, dum absentis nomine consensus Regium in matrimonium ab Augustissimo Fratre, Matreque daretur: quam mox supervenientem Orator Regius, positis more gentis humi genibus, ut Reginam salutavit, Eidemque Regis sponsi effigiem, quinquaginta adamantibus, centum triginta florenorum millium pretio, ornatam obtulit.

Interea dum contractus Matrimonii in tabulas referretur, & Oratore nullis sumptibus parcente, in vestes, donaria, ludos, spectacula, pauperum etiam stipem, ut matrimonium id fortunaret Deus, ingentes pecuniarum effusiones fierent,

rent, opportunitatem ſibi præbitam rata Mater Auguſta, ſponſam Regiam ſupremis monitis inſtruendi, docilem ad omnia Filiam, qua moderatione imprimis animi perſonam tueretur ſuam, qua benignitate populum, qua comitate Regni primores, quibus obſequiis Regem ipſum ſibi, Deoque devinciret, diligentiſſime inſtituit. Quæ plura fuere Matris ſanctæ imprimis, ac ſapientis documenta, ad arcana pertinent: illud dubium non videtur, nihil Reginam pro ea, quam de Matris Auguſtæ ſanctimonia habuit, opinione, ſive quod ad Regem, Regiamque Domum, ſive quod ad populi conſolationem, ſalutemque Regni pertineret, niſi maternis ex præceptionibus, & exemplis egiſſe.

Hæc inter illuxit tandem ſeptima dies Julii, pervigilium Viennæ

S. Eli-

S. Elisabethæ, Portugalliæ quondam Reginæ, & ad discessum auspicato destinatum. Ex Aula Cæsarea inclinante jam in vesperum die digressa est sponsa Regia, & qua erat in Deum, superosque pietate, ad S. Stephani primam Basilicam in Urbe, deducentibus Imperatore Fratre, Amalia, & Eleonora Imperatricibus, serenissimisque sororibus Elisabetha, ac Magdalena, se contulit, ut Divinam Matrem Pötschensi in imagine, quæ beneficiis cælestibus clara, præcipuo ibi honore, velut Palladium quoddam Urbis, religiose colitur, supremum salutaret, & inter Lauretanas Virgineæ Matris laudes, ejus potenti apud Deum patrocinio se, ac Cæsaream, Regiamque Domum commendaret. Defuncta eo pietatis officio, eodem, quo venerat, Augusto comitatu,

in-

inter ſingultus quidem concurrentis ex tota Urbe multitudinis, ſed lætum etiam tormentorum e mœnibus fragorem, per Scotenſem portam Clauſtro - Neoburgum ad Canonicorum Regularium S. Auguſtini collegium abiit.

Dies octava Julii pietati in S. Leopoldum, Auſtriæ quondam Marchionem, nunc Patronum, cujus ſacrum ibi corpus publica veneratione colitur, eſt data: cujus ut patrocinium certius ſibi demereretur Regina, Divinis myſteriis procurari voluit. Sub veſperum Nuptialis fæderis ſolennes ritus ad Aram, Conciliatore, Teſteque Emiaentiſſimo Cardinali de Saxonia, nuguſtiſſimo Fratre, ac Imperatore ipſo, perſonam Sereniſſimi Luſitaniæ Regis JOANNIS V. ſuſtinente, data, acceptaque fæderis nuptialis fide, peracti ſunt. Abſo-

ſoluto hoc ſolenni, media inter duas, ut erat, Imperatrices, ſtipante latera innumeræ Nobilitatis frequentia, ad currum ſe retulit Regina, ſola jam ſine Auguſtis comitibus, per conſtratum navali ponte Danubium Corneoburgum petitura. Ibi cum noctem eam, diemque ſcquentem ageret, affuere ſub prandii tempus ex inopinato Joſephus Imperator, Imperatrices ambæ, & Aſorores rchi-Duces, & hoſpitales eas epulas, primamque ſolitudinem inexpectata lætitia exhilararunt. Addidere honorarium munus Auſtriaci Ordines, & diem illam inter feſta reboantium tormentorum gaudia concluſere.

Decima demum Julii, imperatis publici curſus equis, nonaginta novem cum curribus, & eſſedis, viam ingreſſa eſt Regina. Præter

Au-

Aulæ Præfectum, honorarias primæ Nobilitatis Matronas, ac Virgines, Cubicularias, & herilis obsequii administras, duos quoque e societate nostra sacerdotes, Reginæ primum, Regioque Ejus comitatui alterum a sacris confessionibus, & obsequiis futuros, quosque deinceps etiam ex solennibus matrimonii pactis secum habitura esset; in comitatu erant Legati duo, Cæsareus, Regiusque, Publici cursus Magister supremus, aliique septem comites, honoris causa a Fratre Imperatore adjuncti. Iter per Bohemiam erat, ubi a Regni Ordinibus Pragæ omnibus honoris officiis, & regiis muneribus magnificentissime excepta est; tum per reliquam Germaniam, Legationibus Principum ubique, & populi studiis toto itinere frequentata, triumphantis pene in morem,

in

in Hollandiam deducta eſt. Sed enim via tota ſanctis operibus, & relictis publicæ pietatis veſtigiis ſignata a Regina eſt. Nunquam iter ingreſſa erat, niſi binis prius ex ordine ſacrificiis religioſiſſime interfuiſſet, & Lauretanas, & Itinerarias, quas vocant, preces, præeunte in verba ſacerdote, comprecatione publica præmiſiſſet. Nunquam feſtior religione dies inciderat, qua non expiata Chriſtiano more conſcientia, *Pane* ſe *fortium* roboraſſet, & ad bina ſacrificia ampliandæ pietatis cauſa tertium adjunxiſſet.

Undecima Septembris, ſalutata ſupremum a Cæſareis viæ comitibus Viennam mox rediturìs, navim Anglicanam & ipſa conſcendit; ſed ne e portu diſcederet, tempeſtuoſum mare, & continuati toto pene menſe ventorum turbi-

nes in mora fuere. Tertia tamen Octobris Bukero Classis Præfecto, vela in Angliam solvit, & facili trajectu Portmuthum feliciter appulit. Mensis hic etiam dimidium ad quietem datum: duodevicesima demum die, conscensa Prætoria, Architalasso ipso Britaniæ Bingio Duce, sublatæ anchoræ, classisque decem, & octo bellicarum navium e portu solvit. Iter in Lusitaniam, secundissimo semper cursu, octo non amplius dies tenuit. Vigesima sexta Octobris in portum Ulyssiponensem invecta Regina, postridie statim sponsum Regem, ac serenissimos Ejus Fratres excivit. Quibus deducentibus de navi descendit, & effusa in Ejus occursum Urbe tota, Regnique Nobilitate, triumphantes inter arcus ad Regiam processit. Postridie apparatissima pompa ad sum-

ſummum templum deducta, gratias Deo pro auſpicato itinere, & felici adventu egit, eodem cum Rege curru, operis magnificentia ſane viſendo, per Urbem invecta. Inter Divina Cardinalis de Cunha Regio conjugio ex Eccleſiæ ritu bene precatus, ſolennes Nuptiarum Ceremonias peregit. Reditus in Palatium is fuit, qui certantibus exterarum Nationum ſtudiis, inter arcus per omnes angiportus ſuperbiſſime extructos, & feſtas acclamantium, & Regi, & Reginæ fauſta precantium voces, perpetui ſpeciem triumphi referret. Neque paucarum horarum publica ea lætitia fuit; ſed in noctem feſtis tota Urbe ignibus illuſtrem, & dies aliquot ſequentes ſpectaculis, Ludis Taurilibus, & omnis generis inuſitati gaudii ſignificationibus ſe extendit.

CAPUT III.

Matrimonium fæcundiſſimum.

Tam lætus populo, acceptuſque Reginæ adventus, nulli jucundior, ac Regi ipſi, fuit, qui Legatum ſuum, præſtitæ inſignis operæ cauſa, ſub primam ſtatim ſalutationem, Marchionem de Alegrete renunciavit, & donata opulenta Fluminis majoris Præfectura, a conſilio, ut vocant, ſtatus ſibi eſſe voluit. Regios inter conjuges amor mutua admiratione auctus, nullo deinceps tempore minui ſe paſſus eſt.

Annus labebatur ſæculi hujus undecimus, cum fæcunditate jam læta Urbs Regia, Reginam quarta Decembris Matrem primo ſalutavit. Pignus ingentis ſpei ſereniſſima Infans, hodie Hiſpaniarum Regina Catholica, erat, quæ ſacro

ex

ex fonte ab Eminentiſſimo Cardinali de Cunha, Palatii Archi-Capellano (quod munus Patriarchæ hodie proprium eſt) Chriſto initiata, Mariæ, Barbaræ, Xaveriæ, Eleonoræ, Thereſiæ, Antoniæ, Joſephæ nomina ſortita eſt.

Anno nondum exacto, decima nona Octobris Anni MDCCXII. Braſiliæ Princeps (quod honoris vocabulum Luſitaniæ Coronæ hæredem denotat) ſecutus eſt, ſanctiori lavacro ab eodem Eminentiſſimo tinctus, & ex Avi nomine Petrus appellatus: ſed nato interim ſexta Junii Anno MDCCXIV. Sereniſſimo Fratri Joſepho, Franciſco, Ignatio, Norberto, Auguſtino, quibus nominibus ſacro in Baptiſmo, ab eodem Eminentiſſimo Cardinali collato, inſignitus eſt, locum, & Coronam ceſſit, tranquilliorem in cælo regni hæreditatem,

Ejusdem adhuc anni Octobri mense aditurus.

Annus subinde sæculi decimus sextus Carolum, Infantem Regium mundo dedit, secunda Maji magno omnium bonorum gaudio in lucem editum, sed majori luctu florentissima in ætate Anno MDCCXXXVI. præmatura morte rapiendum: maturum tamen cælo, & superis charum, quorum vitam adhuc inter mortales virtutibus referebat.

Vixdum annus se circumegerat, cum Lusitanorum spem natus quinta Julii Anni MDCCXVII. Dom Petrus, Clemens, Franciscus, Josephus, Antonius affirmavit, a Thoma de Almeyda, Ulyssiponensi Patriarcha I. salutaribus undis Christiano ritu ablutus. Vivit is, Regique Fratri conjunctissimus, or-

ornamentum eſt Generis, & Regni præſidium.

Steriles exinde anni ſex fluxere: ſed annus ſeptimus inexpectato partu Urbem, Regnumque majori lætitia cumulavit, nato vigeſima quarta die Septembris Anni MDCCXXIII. Sereniſſimo Infante Alexandro, Franciſco, Joſepho, Antonio, Nicolao, quem Patriarcha idem, ac Capellanus major, Thomas de Almeyda, ſacro fonte luſtravit. Sed enim breve id gaudium fuit, Infante Regio expleto nondum quinquennio, ſecunda die Auguſti Anni MDCCXXVIII. morbillis extincto.

Hac fæcunditate ut nihil Regno optabilius, ita Reginæ nihil magis curæ erat, quam ne tanto beneficio ſe indignam beneficii oblivione præſtaret. Cum primum uterum ſe ferre ſenſit, inſtandum

impensius pietatis operibus, & suam, prolisque salutem Deo omnibus religionis officiis commendandam duxit. Partui jam vicinior semel, ac sæpius Divinorum mysteriorum præsidiis se muniebat, & ea quidem comparatione animi, ut si ad cælestis vitæ fontem supremus is sibi esset aditus. Quare ut incerti casus provida, ut rebus suis, ac suorum in tempore consuleret, renovato semper testamento, tanquam ad instantem sibi obitum omni cura se præparabat. Puerperio feliciter defuncta, de prole Christo per Baptismum regeneranda unice solicita erat: ac quo primum id Christiani nominis sacramentum exteriore etiam cultu venerabilius redderet, regio e thesauro suo amiculum byssinum, adamantibus elegantissime distinctum, & quod pretii caput, Eleonoræ,

Mag-

Magdalenæ, Thereſiæ, Matris Auguſtæ manu, ſororumque Archi-Ducum opera elaboratum, depromebat, quo involuta proles Regia Divinis oculis ad primæ infuſionem gratiæ repræſentaretur. Elapſo puerperii tempore, quamprimum poſſet, toto cum Regio comitatu ad S. Rochi, quæ Domus Profeſſorum Societatis noſtræ Ulyſſipone eſt Eccleſia, ſe conferebat, & decantatis ſolenni hymno Dei laudibus, reque Divina Auguſtiori ritu celebrata, Deo beneficii authori gratias publicas agebat, prolemque recens natam communi rerum Domino, per manus S. Franciſci Xaverii ſingularis opitulatoris, pietate maxima offerebat.

CAPUT IV.

Matris de educandis Regiis Liberis ſtudium.

Proles, quas ſuſceperat, ut non aliter, ac Dei dona, ac Divinæ largitatis in Regnum, Regiamque Domum pignora ſuſpexit, ita quo gratiores Deo redderet, & Regiis natalibus digniores, ſolertiſſima ſemper cura, ac ſtudio educavit. Erat alioquin ſereniſſimo Regi conjugi mens ea, ac ſententia, ut Regii Liberi, a Matris Reginæ, cujus non pietatem modo, ſed prudentiam, moderationem, induſtriam, ac ſuper omnia Regiam indolem mire & amabat, & probabat, nutu unice penderent. Neque conſilii hujus ſui Eum unquam pœnituit, & quoad in vivis erat, de ea poteſtate in Liberos nihil immutavit. Et quanquam eorum indoles

les a natura ad imperandum facta, Regiæ Clementiæ, Munificentiæ, Moderationis, & Æquitatis jam tum præferret indicia luculenta, ac temperatiſſimum ingenium, & ſuapte ſponte ad recti, honeſtique amorem pronum, nihil immodici, ac præcipitis haberet; accedente tamen Matris Sereniſſimæ cura aſſidua, ac ſolertia, bona illa animi, gemmæ inſtar auro incluſæ, & perita gemmarii manu politæ, lætius indies, admirabiliuſque relucebant. Cum enim materna quadam vigilantia, omnibus ipſa adeſſet locis, arteſque, ac diſciplinas, quibus excoli Regia ingenia ex uſu ſolent, calleret optime; Cumque & Regia ſoboles, qua erat in Reginam Matrem obſervantia, reverentia, & obſequendi facilitate, liquentis ceræ inſtar, fingentis manum ſequeretur, nihil vel domi, vel foris

ſie-

fiebat, nisi quod fieri, & quomodo fieri Regina jubebat. Piaculum id futurum erat, si qua vel in religionis officio, vel in morum parte a Reginæ Matris nutu discederet, vel Regiæ voluntatis significationem non ad unguem impleret.

Inter omnes Liberos tres tantum erant, quos sibi superstites longiore, ac impensiore cura prosequeretur. Petrus enim secundo loco natus, post biennium in cælum abiit: Alexander, sextus natalium ordine, vitæ brevissimæ curriculum intra quinquennium absolvit: Carolus, nascendi conditione quartus, ætatem quidem ad annum vigesimum produxit; sed afflicta semper valetudine, sancte vivendi, & moriendi artem tantum a Regina Matre condidicit, ea virtute juvenis, ea innocentia, ut Angeli nomen, antequam in eorum societa-

tem

tem transiret, vivens adhuc inter omnes, qui eum noverant, mereretur.

Longiore, & exquisita plane cura Serenissimam MARIAM, BARBARAM, Hispaniarum hodie Reginam Catholicam, excoluit, quæ ut prima in lucem edita Matrem Eam fecerat, ita Matrem, ac Magistram ante omnes experta erat. Hanc ut cetera sui similem, ita virtute quoque simillimam redderet, & pro mortalitatis lege aliquando migratura, quasi alteram se, post se relinqueret, ita ad suos mores finxit, ut cum ad maternam industriam propitiæ etiam naturæ magisterium accederet, omnibus pietatis, clementiæ, prudentiæ, moderationis exemplis Matrem quodammodo superstitem felix hodiedum repræsentet.

At

At vero JOSEPHUS, Serenissimus hodie, & Fidelissimus Rex Lusitaniæ, quemadmodum gaudium Matris, ita curam, & solertiam geminavit. Cum enim Ejus educandi, quem coronæ hæredem, & successorem habiturus esset Rex Pater, plenam, ut in ceteris, potestatem Reginæ Matri faceret, sed multiplex Regii Principis institutio alios, ac alios Magistros, ac præceptores posceret; eam quidem institutionis partem, quæ ad pietatem, prudentiam, moderationem, clementiam, boni publici studium, & formandos universim mores Regios pertinet, sibi reservavit: ad literarias vero, ceterasque, quibus Regii sanguinis, ac fortunæ Principes excoli solent, artes, ac disciplinas eos delegit, qui tanto muneri maxime idonei viderentur: sed cum ad instituta Lusitanæ gen-

tis

ctis ante omnia attenderet, ea tamen etiam in usum Regii Principis vertit, quæ paterna in Aula, in Serenissimorum Fratrum Archi - Ducum, Regum postea, ac Imperatorum institutione, Leopoldi Magni judicio probata meminit. Atque ejus quidem educationis fructus in omnes quatuor orbis partes, quo Lusitanici sceptri jura pertinent, hodie feliciter dimanat; in serenissimam tamen Matrem eo uberius redundavit, quo majore illam amore, cultus obsequio, jam Princeps, jam Regio auctus connubio, jam Regni solio sublimis observaret.

Non dispar Regiæ Matris in educando Serenissimo PETRO, quem quinto inter Regios liberos loco natum diximus, erat studium, nec hujus dispar in Matrem officium. Uno is regni gradu minor, cetera Fratri Regi ut germana

cha-

charitate conjunctissimus, ita religionis studio, moderatione, consilio, multarum rerum cognitione, sapientia simillimus. Nihil illo gravius simul, ac modestius, nihil in Matrem officiosius, & obsequentius, ut qui nunquam pene ab ejus latere, nisi cum Fratrem Regem assectaretur, abesse longius sustineret: illud facile assecutus, ut propter mores suavissimos, & æquabilem optimi exempli vitæ tenorem, non solatio modo Serenissimæ Matri, sed summis, infimisque venerationi esset.

CAPUT V.

Reginæ in Regem conjugem studium.

Ut matrimonium non iniit MARIA ANNA, nisi ut Divinæ Menti, & Matris Augustæ Con-

Conſilio pareret, publicoque Regnorum bono deſerviret; ita ſanctius illi nihil fuit, altiuſque in animo deſcriptum, quam ut domeſtici hujus fœderis jura, legeſque quam religioſiſſime expleret. Amore ferebatur in Regem tanto, ut majori non poſſet; tam conſtanti, ut nulla temporis diuturnitas, nulla rerum viciſſitudo labefactare illum poſſet. Ne quotidiana conſuetudo, ut fit, ſatietatem afferret, novis ſemper officiis, novis obſequiis amorem alebat: fingebat ſuos ad Mariti Regis mores, ne qua ſtudiorum diſſimilitudo animos disjungeret: ne qua vero ſiniſtra ſuſpicio afflaret animum, honeſtiſſimis ſemper judiciis conceptam de Rege exiſtimationem confirmabat. Prætervecta hos ſcopulos, in quos conjugalis amor impingere frequenter ſolet, ea cum

Marito Rege concordia vivebat, nihil ut conjunctius vel judiciorum, vel voluntatum ea consensione esse posset. Amicitiæ eam legem: *idem velle*, ac *idem nolle*, domesticæ hujus Societatis regulam, vel unicam, vel præcipuam esse ducebat: nihil illi tam charum, quod non continuo ex manibus dimitteret, cum ad Regem vocaretur, pietatis etiam officia brevioribus dimetiri spatiis solita, ne quid moræ gratificandi Regi suo vel Divina injicerent: nutus ejus omnes pro imperiis habebat, novamque sibi obsequii gloriam relictam esse dictitabat.

Hoc animo cum esset in Regem, mirum non est, Regem quoque omnibus amoris, honorisque officiis certasse. Amabat ejus suavissimam indolem, candorem, probitatem, arcanorum fidem: vim etiam

etiam judicii, & æquitatis amorem suspiciebat. Nihil ex Indiis, nihil ex Europa reliqua, seu lætorum, seu tristium ad Regem perferebatur, quod non cum Regina communicaret: & si quid anceps incideret, vel quod in conscientiam plurium venire non oporteret, ejus unice consiliis acquiescebat. Quanquam vero Regni se causis minime ingereret, tamen cum boni publici interesset, Regem non nunquam pro ea, quam de Clementissimo ejus in se animo conceperat, fiducia libere monebat, ne quid detrimenti res publica acciperet. Id primis præsertim annis semel, ac iterum agebat, quibus per Regis adolescentiam summa pene omnium rerum in manibus eorum esse ferebatur, quos in Consilium sibi Rex adlegerat. Negabat id e re publica fore, si non

 ma-

manus ipſe ad clavum admoveret. Senatus Regii partes eſſe ajebat, quæ in rem eſſe viderentur, edicere, conſilia promere, & ſententiæ ſuæ rationes quam explicatiſſimas afferre: at Conſiliorum momenta expendere, & ex iis optima ſeligere, id vero eſſe ſapientiæ Regiæ, cui ſpiritum conſilii uberiorem largitor ille Deus infundere ſolitet: invidioſa ad populum optimatum eſſe imperia, niſi judicio Rex ſuo authoritatem iis adjiceret, & probata ſuo calculo confirmaret. Et vero valuere hæc ab amore, Zeloque profecta monita, ut ſereniſſimus conjux in hæc ſolertiſſime intenderet, aſſideret ad clavum, Rexque pace, Religione, juſtitia, atque ceteris virtutibus longe maximus celebraretur.

Sed cum tantam laborum, ac negotiorum molem, Principi præ-

ſer-

ſertim juveni, vix tolerabilem fore facile provideret, niſi curas interdum remitteret, & contentionem animi liberali otio, laborum tædia tempeſtiva hilaritate corrigeret; alio, atque alio ſapiens Regina cogitationes vertit, Regis ut animum tot inter Regni curas vegetum ſemper, atque alacrem conſervaret. Apparabat ludos muſicos, ſcenicoſque; ſed ne quid auribus, oculiſque ſe offerret, quod minus caſtigatum, offenſionis aliquid præbere audituris poſſet, ipſa ſcenicorum operum cenſuram agere, & quod in verbis procax, in geſtu petulans, in cantu laſcivius, amovere a theatro ſolebat. Venatione quidem, ut corpus exerceret frequentius, Marito Regi author fuit; ſed ejus exercitationis uſus haud ita diuturnus fuit, invaletudine perfrequenti, qui Regem mul-
 tis

tis annis non leviter afflixerat, violenta hæc valetudinis remedia recusante.

Atque ille ipse afflictæ valetudinis status, videlicet ultimis vitæ annis Regem adortus, latum Reginæ campum aperuit, conjugalem fidem, amorem, obsequium per omnia charitatis officia demonstrandi. Dici vix potest, quantis interim curis, quanta solicitudine Regiæ valetudinis causa angeretur, quantis precibus, quot lachrymis eam Deo commendaret. Nihil interim industriæ, nihil assiduæ solertiæ sibi reliquum faciebat, quo leviorem illi morbum redderet, & cum omnes eadem cura teneret, una tamen Regina ancillarum omnia obsequia superabat. Annus volvebatur sæculi hujus quadragesimus secundus, cum mense Majo, absente in vespertinis laudibus Re-

gina, repentina Rex nervorum ſideratione affectus, toto ſiniſtro latere omnem membrorum uſum amiſit, ſic, ut ſupremis morientium præſidiis muniendus videretur. Ea in trepidatione, cum Medici in præſcribendis mali remediis, quæ præſens poſcebat neceſſitas, artem ſuam omnem, ac induſtriam exhauriremt; Regina ad Deum verſa, deductis per omnes Urbis Eccleſias ſupplicationibus, propitiandum ante omnia Divinum Numen cenſebat, ipſaque in preces procumbens, miſericordiſſimam ejus pietatem Regi, populoque diu, noctuque implorabat. Et quanquam vis morbi remediis non cederet, vita tamen Regi per annos adhuc octo prorogata, fructus tam ardentium Reginæ precum videri poterat; nec non tenerum illud pietatis ſtudium, quo Rex ægrotus inter

aſſiduas contriti animi ſignificationes, preces, & frequentiſſimam Divinorum myſteriorum participationem, conceſſas ſibi has velut mortis inducias exigebat.

Tam diuturna Regis invaletudo Reginæ officioſa charitatis obſequia intendebat. Optabat ipſa ſuis manibus parare cibos, præbere medicas potiones, & quidquid ægrotantis imbecillitas ſubſidii exigebat, per ſe ipſam exhibere. Sed cum ejus ſibi facultatem obſequii nec locus, nec tempus permitteret; matutinis tamen, ac veſpertinis, quotquot poterat, horis, decumbenti aſſidebat, & quæ ad uſum, vel ſolatium erant, ancillari pene ſolertia exhibebat. Idem ſibi agendum cenſuit, quoties ad thermas Rex quotannis proficiſceretur, comitemque ſe itineris, ac valetudinis cuſtodem adjunxit. Sed enim

enim aliud Regi visum, qui vicaria ejus opera in Regni administratione usurus, summam illi rerum cum plena potestate commendavit. Expalluit ad insueti oneris mentionem Regina sapiens, ac modesta: sed quod id Regem ex animo velle, sibique parendi necessitatem impositam videret, suscepit eam regendi provinciam, sed gemina adjecta conditione, ut Regius Princeps rebus omnibus interesset, & in causis majoribus nihil constitueretur, antequam Regis mentem de iis, ac voluntatem exquisiisset. Quo in munere cum annos octo, & nonnullas hebdomadas non minore laude, quam animi contentione posuerit Regina, operæ pretium fuerit, peculiari capite pluribus de eo agere.

CAPUT VI.

Regina Regis loco gubernat.

Lusitania tametsi per se spectata terrarum amplitudine cum plerisque Europæ Regnis venire in contentionem non possit; si tamen subjectas eidem Insulas, Africæ Oram, Indiæ magnam partem, ac Brasiliæ Regnum connumeres, finium amplitudine nihilo minor magnis Imperiis videri potest. Tam diffusæ per omnes Orbis partes provinciæ, tot insulæ, tot nationes, linguis, religionibus, institutis discretæ, Regiam curam, ac providentiam in immensum augent, & regni onus per se grave, molestissimum efficiunt. Ex quo conjici facile potest, quantas in turbas ex tranquillo pietatis otio se conjectam Regina videret. Hanc tamen tam laboriosam, & curarum ple-

plenam provinciam, non ad exigui brevitatem temporis, ſed ad annos octo non minore ſapientiæ, & fortitudinis, quam clementiæ, ac juſtitiæ laude geſſit. Præluſerat quidem Regiæ huic gubernationi anno ſæculi hujus decimo ſexto, cum Rege Tranſtaganas provincias luſtrante, ad clavum interim ſedere juſſa eſt, & Regni curas in ſe ſuſcipere: quo illa munere tam naviter, ſolerterque perfuncta eſt, nihil ut ad ſummam in cognoſcendis cauſis diligentiam, in expediendis negotiis induſtriam, ac celeritatem, in ſublevandis populi miſeriis, in tenuioribus a potentiorum injuria vindicandis æquitatem, reliqui ſibi faceret. Id velut Regiæ gubernationis tirocinium tanta omnium approbatione, plauſuque exceptum eſt, ut Rex ex itinere reverſus, quemadmodum Hiſto-

storia Domus Regiæ Tomo quinto, pag. 324. refert, eo illi nomine obstrictum se plurimum profiteretur; & cum posterior hæc capessendæ reipublicæ necessitas Reginæ incumberet, populus illo velut omine persuasus, læta sibi omnia, ac prospera, hac Moderatrice auguraretur.

Rempublicam igitur auspicato aggressa est, nec sine omnium Regni Ordinum sacramento, assensum, fidem, & obsequium Reginæ confirmantium: atque ut aliud nihil præter Regnorum commune bonum, ac populi salutem spectabat; ita privati commodi respectum, & quod majus in Regina, pietatis studiis unice dedita, beatam illam cum Deo, & superis agendi consuetudinem nonnullis vicibus posthabendam publico sapienter censuit. Laudatissimus Lusita-

ſitaniæ Regum mos eſt, ter per hebdomadam, feria nempe III. V. & Sabbato, adeundi throni ſui copiam iis facere, qui aut injuria læſi, aut infortunio, vel alia neceſſitate preſſi, ad Regiam Æquitatem, ac Clementiam perfugium haberent. Eos dies Regina etiam religioſiſſime obſervabat, tametſi ceteris in Tribunalibus juſtitium eſſet. Sub horam igitur diei decimam, publica in Aula Thronum conſcendere, aſſiſtentibus hinc ſupremo Aulæ Præfecto, aut qui ejus vices faciebat, Regio cauſarum Prætore, & ſupremi ſenatus ſecretario, ſive libellorum Magiſtro, illinc ſuprema Aulæ Præfecta cum primæ admiſſionis Nobilibus Matronis, & ſupplicum preces, ac poſtulata audire ſolebat, conceſſo ut plurimum numeroſioris populi querelis priore biduo, Sabbato Nobi-

bilitati Regni, & ſacro Ordini, ad expromenda, quæ vellent, reſervato. Admiſſionis porro ea erat ratio, ut ſeorſim ſinguli ad throni pedem proſtrati, aut libellos porrigerent ſupplices, aut verbis ſuis, quæ vellent, ac cuperent, Reginæ de genibus explicarent. Sed quæ Reginæ erat Clementia, cum infimis æque, ac ſummis poteſtatem faceret, exulcerati animi ſui querelas liberius effundendi, fiebat plerumque, ut paucorum etiam cauſæ ternas illi, quaternaſque horas eximerent, & quantumvis patientes tædii aures, delaſſarent. Conſtabat interim Regina ſibi, neque moleſtæ illæ verborum næniæ placidam illam oris ſerenitatem demutabant: animare etiam ſupplicum fiduciam non ſemel audita, cum ſe natam publico, & nunc populi ſui ſolatio, ac præſidio

dio novis nominibus addictam fateretur. Mirantibus tantam in Regina inter fastidiosissima hæc flagitatorum tædia animi æquitatem, id unum reponebat, suas nunc partes esse, nemini ut deesset, esseque in molesto hoc illud sibi jucundum, quod Deo justissimo judici, gesti muneris rationem facilius sic daturam se sciret.

Sed cum aurium hunc cruciatum plures semper in horas patientissime toleraret, nec commotioris animi signum ullum ederet; tenere se tamen non poterat, quin parentes, si quando de erepta filiabus, aut spe matrimonii, aliisve juvenilis lasciviæ lenociniis expugnata pudicitia conquerentes audiret, neglecti officii acriter argueret, & reddendæ olim communi parenti Deo, qui præcipuam hanc pietatis in liberos partem per ignavi-

am

viam, & incuriam effluere ſibi ſinerent, rationis commoneret. Atque univerſim intemperantes has libidines innato velut odio averſabatur. Jam vero violata matrimonii jura, & prognatos extra juſti thori leges liberos aures ipſæ, oculique reſpuebant: cumque flagitiorum hujusmodi importunitatem nulla vis legum humanarum ſatis reprimere, ac coercere poſſet, optabat ſaltem, tenebrarum ea opera iisdem, quibus nata ſunt, tenebris ſepeliri. Iniquiſſime ferebat, ſi gloriantes quandoque his ſuis probris audiret quosdam, & natos ſibi ex furtivo concubitu liberos, quod forma, aut ingenio præcellerent, oſtentari velut in theatro videret; neque temperare ſibi poterat, quin dedecoris ſui præcones hos publicos in ruborem daret. Fuit cum in nobilium puellarum con-

contubernio ſuaviter cum una, amanterque loqueretur, occulto prognata vitio, quod ex natalibus illi inhærebat: pater, qui coram aderat, filiam Reginæ placere ratus, ſobolem hanc eſſe ſuam, ſed non ex conjuge, imprudens prodidit. At Regina indignanti ſimilis, amputato potius, quam abrupto cum filia ſermone, averſum ab illa vultum in parentem vertit, nutu etiam tacito ſatis prolocuta, non eſſe gloriationis hanc materiam, ſed juſti pudoris, ac doloris, & fæditatem flagitii nulla prolis venuſtate honeſtari.

Ad hunc modum cum cauſas audiret omnium, libellos ſupplices, quorum ingens ſemper erat numerus, colligi jubebat, quos deinde ad Secretarium ſtatus mitteret, ſuis quoſque Tribunalibus conſignandos. Alios, quorum urgen-

tiores causæ erant, in mensa sepositos secum abstulit, quos vel ipsa legeret, vel clarioribus virtute, ac doctrina consiliariis expendendos submitteret, responsum ab iis breve, justumque primo tempore acceptura, ne beneficii gratia cunctatione corrumperetur. Ista in publico: in conclavi Regio, quo majores fere Regni causæ, & Tribunalium omnium judicia deferebantur, majore etiam attentione, & solertia utendum erat. Multa sunt Ulyssipone Tribunalia, ac Consilia, ac imprimis supremum Aulæ, trium statuum Regni, Bellicum, Cameraticum, Ultramarinum, Civicum, quæ negotiis tument, & plurimis, & maximis, supremam tamen fere sententiam a Rege expectant. In hanc sylvam rerum ingredi Reginam quot hebdomadis bis, terve oportebat, &

quod

quod multum ſæpe temporis ſuſtulit, ea vel legere omnia, vel audire. Felicitatis id erat maximæ, quod Conſiliario uteretur Sereniſſimo Principe Filio, & Relatore primo Miniſtro Eminentiſſimo Cardinali de Motta, viro ſupra excellentis doctrinæ, ac ſapientiæ opinionem, virtutis ac præſertim juſtitiæ laude ſingulari, cumque is poſtea ad ſuperos, relicto maximo ſui deſiderio, abiiſſet, Marco Antonio de Azevedo ſtatus Secretario, quorum conſiliis, ac judiciis acquieſcere tuto poſſet. Neque tamen vel his ita tranſigenda omnia permiſit, quin aciem ipſa intenderet, & ſi quid anceps, aut majoribus difficultatibus implexum occurreret, ad arcaniora etiam fidorum hominum conſilia confugeret, & veri cognitionem propioribus e fontibus hauriret. Multis ea res ſaluti

fuit,& præſertim,qui in Aſia, Africa, America Magiſtratus, aliave officia gerebant, & malignis delatorum criminationibus opprimendi erant, niſi ſapienti hac cunctatione, & inveſtigandi ſolertia deprehenſa fraus eſſet, & innocentum famæ, ac honori conſultum.

Et vero ut ad Clementiam prona, ita ad decernendam ſontibus pœnam, niſi cum manifeſta criminis atrocitas excuſationem non admitteret, lentiſſime procedebat. Agebatur de quibusdam in Indiam relegandis, ſuſpectis potius, quam culpæ convictis. Negabat Regina pœnam, niſi ſontibus ſe dictaturam. Aliud viſum ſeverioris conſilii authori: ajebat in Reginæ poteſtate eſſe, quos vellet (reine, an inſontes eſſent, nihil referre) pro Majeſtatis ſuæ jure Goam, vel in inſulas amandare. Id indignum

rata

rata Regina, recitare eum jubet de ſupremo dominio leges: quæ cum eam poteſtatem Principum ad exigentium tantum rerum neceſſitatem reſtringerent, modeſte ſubjecit, par eſſe, ut legibus Reges, quarum cuſtodes eſſent, ſe accommodent: hoc eos pacto Regnum adire, in hoc fidem ſuam populo obſtringere, ſibi certe piaculum videri, ab eo, quod ſancte promiſerit, vel latum unguem diſcedere, nec ſe unquam permiſſuram, ut incerto pro crimine pœna certa dictaretur.

Sed enim cum in Urbe tam frequenter, ne dicam in Regno, fieri vix poſſet, quin capitalium quorundam criminum rei ſupremo ſupplicio afficiendi eſſent; difficile dictu eſt, quam ægre ab reluctanti animo ad triſte hoc imperium acceſſerit. Sed cum reipublicæ in-

tereſſet, atrociora præſertim crimina non impunita relinquere, ſatiſque videret juſtitiam vindicem a Regia Clementia ſejungi non poſſe, ea quoque in re imperavit animo, & ad ferendam in reos ſententiam arcano judicio aſſedit. Hic vero cum ſenatus ſententiam, ſententiæque rationes audiret, admirationem ſæpe ſenatus principibus movit, quam multa, quam acute de cauſa quæreret, quam varias excuſandi, vel elevandi ſaltem criminis vias, rationeſque in medium afferret. Quod ſi nec modum, nec viam Clementiæ reperiret, probavit quidem Judicum ſententiam, ſuaque ipſa manu ſubſcripſit; ſed evocato, qui damnatorum ſolatio e Societate noſtra carcerum curam gerebat, ſacerdoti ſedulo commendavit, ne quid ſacri præſidii, quod id tempus poſtularet, deeſſe reo pa-

pateretur. Quanquam & hoc etiam rerum articulo capitis damnato interdum locus erat, causam suam meliorem reddendi. Cum enim nova sæpe causæ adjuncta, quæ mutare judicium possent, vel a reo, vel a Juris Consulto rei patrono, in medium afferrentur, suas etiam preces sacerdos, cui de reo cura erat, & ipse adjungeret; libello supplici ad justitiæ Tribunal remisso fiebat non raro, ut posterior sententia priorem mitigaret, & in Reginæ arbitrio relinqueret vitæ gratiam damnato facere: quam illa semper magna animi lætitia impertiit. Quod si gratiæ nullus locus esset, precibus Regina reos, & sacrificiis juvari volebat, ut, quorum corporibus non posset, animabus saltem opem, ac subsidium afferret. Et vero compertum est, omnes, quos illa morti addixerat, fuisque simul pre-

cibus Deo commendarat, ea ſcelerum pœnitudine id, quidquid ſuppliciorum erat, ſubiiſſe, ſpem ut dubiam nulli facerent, mortem hanc illis aditum ad beatiorem in cœlo vitam muniiſſe: id quod Reginæ unice in votis erat.

Sanctiorem Quadrageſimæ hebdomadam cum gaudio ſemper expectabat. Cum enim veteri Luſitaniæ inſtituto, leviorum criminum reis venia eo tempore, & libertas redderetur; optabat quam plurimos ejus gratiæ compotes reddere. Sed quod Regni ea conſuetudo eſſet, ut reorum nomina, delictaque a juſtitiæ adminiſtris ad Reginam deferrentur, neque indulti ejus gratia, niſi ad paucos perveniret; impetrari vix poterat, numerum ut ipſa finiret, ne libertate carerent alii, qui non graviores ob culpas carcere detinerentur. Re-

giæ Clementiæ dicam, an juſtitiæ, & illud fuit, quod in multarum familiarum commodum vertit. Cum enim uſu comperiſſet, multos ad carceres rapi, inimicorum potius odiis, quam criminibus oppreſſos, author judicibus fuit, horum ut cauſas, quæ ſuſpicionibus potius, quam idoneis teſtimoniis gravarentur, ante alias ſuſciperent, & ſi manifeſti criminis nihil appareret, confeſtim e cuſtodia dimitterent, & luctum domeſticis, vel egeſtatem relaxarent.

Sed hæc tam multiplex cura, Regiæ ſolicitudinis pars una tantum fuit. Res militares, & quæ ad Indicas mercatorum ſocietates pertinebant, non quidem ipſa per ſe tractabat, ſed Principis Filii, cujus eæ erant velut regni præludia, providentiæ relinquebat, ſic tamen, ut ſupremum earum arbitrium Regi, ſine

cujus annutu nihil confici volebat, reſervaretur. Eandem ſibi in pangendis, firmandiſque fæderibus, in negotiis exteris, & Legatorum poſtulatis agendi rationem obſervandam putabat: ſic ut auditis Regii Senatus conſiliis, ad Regem referrentur omnia, qui judicio demum ſuo, quæ opportuna Regno, juſtaque viderentur, decerneret. Reſtabant tamen innumera alia, quæ confici, niſi per Reginam non poſſent. Apertus quotidie ad Eam erat aditus, non Primoribus modo Regni, & Nobilibus, ſed humilioribus etiam capitibus, res ſuas privatim, fortunas, ac liberos commendantibus, aut levamen a Regina flagitantibus: elargienda Palatii, Regnique munia, vel in hæredes filios Regia authoritate transferenda: conſtituendi jam Regni civitatibus, jam Braſiliæ Provin-

vinciis, jam Insulis, jam Africæ, Asiæque portubus Præfecti, Consiliarii, Judices, Magistratus ceteri, quorum imperia triennio finiuntur: legendi, & subscribendi ingentes literarum fasces, rationum tabulæ, mandatorum, judiciorum, responsorum volumina, quæ conclave Regium sæpe, eo maxime tempore, quo naves in Insulas, in Brasiliam, in Africam, & Asiam soluturæ erant, opplevere.

Turgentibus ita negotiis, cum tantam molem rerum subiret una, nihil tamen in vultu turbidum, in oculis minax, in verbis asperum apparebat: alacriorem ipsa copia reddebat. Ac ne cui dubium esse posset, altiore eam spiritu agere omnia, ita se Regni rebus commodabat, ut de consuetis pietatis officiis Deo, quoad posset, nihil subduceret, & ipsa Regni negotia, pro-

po-

positis sibi sanctissimis agendi finibus, in Religionis officia verteret. Nec erat, cur anxiis se curis conficeret, quæ Regni salutem non modo quotidianis Deo precibus commendabat, sed ea etiam omnia ad res agendas præsidia adhibebat, unde felices rerum exitus pendebant. Cum enim nihil in illa præceps, aut præfervidum, nihil imperiosum præter ipsam Majestatem, nihil varium, & inconstans, & singula, quæ occurrebant, tam secum ipsa, quam cum iis, quorum consilio utebatur, accurate expenderet, consilia non nisi optima prodire poterant, & quorum deinceps illam nullo tempore pœniteret. Hac via cum procederet, mirum non est, gubernandi tam justam, sanctamque rationem & Regi, & populo plurimum esse probatam.

CA-

CAPUT VII.

Morienti Regi assistit Regina, Filioque Regnum tradit.

Anni interea exierant octo, & hebdomadæ aliquot, ex quo tempore Regina plena cum potestate Regno præfuit: & quanquam omnibus his annis nullam sibi elabi occasionem pateretur, suum Regi conjugi amorem, obsequium, & gratificandi ingens studium testandi; eidemque tam matutinis, quam vespertinis horis quotidie, quantum per Regni occupationes licebat, omni charitatis officio præsto esset; cum tamen vires Regi indies defluere, & præmortui lateris incommodum vitales sensim spiritus intercludere sentiret, geminandam sibi solicitudinem, & ultimos conatus ad vitam illi prorogandam, vel certe cum meliore commutandam

dam, adhibendos nunc putavit. Annus agebatur ſæculi quinquageſimus, quem Medicorum peritiſſimi ſupremum Regi fore præſagiebant. Rex non ignarus, quo in diſcrimine verſaretur, curas quidem omnes, ac cogitationes ad beatum e vita tranſitum, qua ſanctis ad Deum ſuſpiriis, & gemitibus, qua profuſis in pauperes eleemoſynis, ſibi muniendum conferebat: tam pium tamen Regis animum Regina pro viribus adjuvabat. Aſſidere igitur frequentius, ſermones de Deo, de cœleſtibus, de fugacium rerum inanitate, de bonis immortalibus nobis per Chriſtum partis, de futuræ vitæ beata perennitate, opportune inferre, excitare in Deum fiduciam pœnitentibus promiſſam, & ad infinita Dei hominis, pro nobis tanta paſſi, merita ſpem omnem revocare. Avidis Rex iſta au-

auribus totus jam cœlo intentus, audiebat, & contriti cordis gemitus cum summi boni, quo aspiraret, desiderio identidem sociabat. Verbis Regina ardentes ad Deum, cœlitesque preces, & quidquid sanctorum operum Christiana habet Religio, pro salute Regis adjungebat. Sed Deo, in cujus manu est Spiritus Principum, aliud visum, qui Regem tam diuturni morbi incommodis afflictum, contritum, & expiatum ad sempiternam requiem evocavit. Julio mense mali vis in horas ingravescens eum ad extrema deduxit, sic, ut supremis morientium præsidiis tempestive muniendus videretur. Omnia ex Christiano instituto, rituque pio, sanctoque administrata sunt, Rege semper sui compote, & ad Religionis ista mysteria, cum eximio pietatis sensu, fideque intento.
Ea-

Eadem ſubinde dies & menſem, & vitam Regis clauſit; pridie Kalendas Auguſti a meridie, aſſiſtentibus pluribus ſacerdotibus, & P. Hyacintho de Coſta Societatis Jeſu extremos anhelitus ſanctis in Deum affectibus præeunte, religioſiſſime defuncti.

Quis inter hæc ſenſus fuerit Reginæ, quis ardor propitiandi morituro Numinis, quæ Chriſtianæ, quæ conjugalis pietatis flagrantia deſideria, quæ vota fugituram mox animam prægreſſa, ex iis, quos ipſa alebat de ſupremo hoc rerum articulo, ſenſibus pronum erit conjicere. Reginam tamen ex animi, vel inter acerrimum hunc luctum, præſentia agnoſceres. Diffluebat quidem, id quod neceſſe erat, in tam acerbo ſibi funere in lachrymas, & ad defuncti latus conjugis abjecta, manum Domini ſui, Regis, ac Mari-

ri-

riti, ſupremo venerabatur oſculo; ſed ad paria officia ſereniſſimos Filios verbo, & exemplo provocabat. Tum vero tota in preces pro defuncti Regis anima effuſa, calentibus lachrymis magis, quam vocibus, procreatori illam Deo tam ardenter commendavit, ut obteſtanda a circumfuſis Aulæ Primoribus eſſet, ne ſe ea contentione diutius conficeret, ſed Regii corporis curatoribus, ac pollinctoribus locum factura, ſuum ſe in conclave reciperet. Deducta eo a ſereniſſimis defuncti Regis Filiis, Fratribusque Regis, Antonio, & Emmanuele, Luſitaniæ Infantibus, nec non Eminentiſſimo Cardinali de Cunha, Ulyſſiponenſi Patriarcha, & Cardinali de Almeyda, & ſuprema ſuæ Aulæ Præfecta, novum de ſe ſpectaculum præſentibus præbuit. Nam cum

in ſellam recumberet, quaſi Regiæ, quam geſſerat, poteſtatis momenta jam ſingula ſe gravarent, converſo ad Regem jam Filium ſermone, ad capeſſendum paternum ſibi Regnum, juſteque Majorum more gerendum, graviter eſt hortata.

Et vero hanc Regina orationem, agitante nativam eloquentiam diviniore quodam ſpiritu, eo ardore, gravitateque habuit, ut non ſub labiis illi nata, ſed multo prius ſtudio elaborata videretur. Filium Te hactenus, ajebat, nunc etiam Regem appellare licet. Vita, ut vides, Regnoque Pater deceſſit: quamque ego adhuc perſonam geſſi, tanquam peracta jam fabula, libens pono. Ad Te nunc redeunt omnia, Regnum, Provinciæ, Inſulæ, portus, claſſes, exercitus, & quæ his contenta ſunt,

vita, ſalusque omnium, qui Luſitanici juris nomine cenſentur. Quantam molem ſuſcipias, ex iis, quæ hactenus curæ Tuæ relicta erant, experiendo diſcere poteras: neque enim natum Te tantum Regno, ſed factum quodammodo, ego, & Pater tuus volebamus, ut non nunc primo, quid oneris Regis ſub nomine lateret, diſceres, nec ad delicias, ſed ad curas graviſſimas, & labores Te vocatum ſcires. Regnum igitur in manu Tua eſt, ſed a Deo, populoque datum, & iisdem, quibus Majores Tui voluere, legibus gerendum. Ut Sacramento obſtrictos Tibi Regni Ordines, ita Te iis fide Regni obligatum reputare debes, ne juſtum imperium, poteſtatis abuſu injuſtum evadat. Finita quoque Regum poteſtas eſt; utque ſupra homines, ita Regi Regum Domi-

no, nolint, velint, ſubeſſe debent, cui non privatæ modo vitæ, ſed publicæ etiam rei conſervatæ, ſeu neglectæ rationem reddent. Multa in Te congeſſit Deus, atque haud ſcio, an non humanis in rebus maxima, mentem magnarum rerum capacem, animum liberalem, & excelſum, formam Regno parem, acre judicium, multoque jam uſu, & doctrina ſubactum. Sed quantacunque ſunt iſta, hominis unius ſunt, totis rebus, ac negotiis ſe ſolo imparis. Adjungendi Tibi rerum adminiſtri ſunt, qui Te, qui Tua ament, qui verſati in rebus magnis, qui probati populo, qui Deum, & rationem audiant. Sint probitate, prudentia, claritate generis, doctrina, & rerum uſu inſignes, quales in hoc Regno nunquam defuere, nunquam deerunt: novorum enim homi-

mi-

minum invidiosa potestas est, & quæ illos comitantur odia, in Principem fere redundant. Non eadem, quæ speciosissima, etiam sunt optima: utilissima Regno ea duco, quæ longo usu, & quodam quasi sæculorum judicio sunt probata. Quæ vero res præcipue spectari in republica debeant, admonendus mihi non es, omnium consiliorum particeps tanto tempore, & in Regni parte pene maxima diu versatus: Viduarum tamen, ac pupillorum causæ, ne potentiorum malis artibus, ac injuriis succumbant, commendari Regibus nunquam satis possunt. Dei, atque Religionis causam non est, quod commemorem: semper ea Lusitanis Regibus cordi fuit, & grande illud FIDELISSIMI REGIS nomen, Patri Tuo nuper, Tibique, ac successoribus

Apoſtolica Benedicti XIV. ſummi Pontificis auctoritate collatum, ingens ad augendam, tuendamque per remotiſſimas etiam orbis partes Chriſti religionem incitamentum eſſe poteſt. Hæc Luſitanum nomen dudum Orienti, atque Occidenti venerabile reddidit, & quidquid proſperum adhuc genti Tuæ, aut Regno glorioſum jam inde ab exortu ſuo, promeruit. Regnum igitur jam Tuum, cum bono Deo aggredere, cui Te commendo, atque ut juſte, ſanctèque geras, & Patris noviſſima, & Tua cogita. Hæc in hæc pene verba præfata, ad manus oſculum præſentes admiſit, ſibique jam reddita, quod triſtiſſimis æque, ac lætiſſimis in rebus ſemper ſolebat, Hymnum *Te Deum laudamus* mecum, qui omnibus his præſens aderam, recitavit.

CA-

CAPUT VIII.

Regina Vidua.

Simul ac orbatam ſe vidit Rege conjuge, a quo ſe nunquam vel offenſam meminiſſet, mox conſilium cœpit rebus ſe iis omnibus abdicandi, quæ ad Regium ſplendorem, ac magnificentiam facerent, vitæque genus ſectandi, quod viduas, quæ vere ſunt viduæ, deceret. Quare continuo ſpecula, veſtes Attalicas, pretioſi operis aulæa, & quidquid aliud in Regiæ fortunæ ornamentis erat, ſuis e conclavibus amoveri, lectum, menſasque lugubriter inſterni, pannoque nigro parietes omnes conveſtiri juſſit, ea ſibi dicta in perpetuum lege, ne quid ullo ſibi tempore priſtini cultus, ornatusque reſumeret: imitata videlicet, ut fere in aliis omnibus, exemplum

ſanctæ memoriæ Matris ſuæ Eleonoræ, Magdalenæ, Thereſiæ Auguſtæ, quæ ſe tum demum liberius Deo, & beatæ æternitati victuram putabat, cum a rebus, quas mundus amat, quam longiſſime receſſiſſet.

Sed ne ex mente unquam efflueret defuncti Regis memoria, & perpetuo ejus in ſe amori vicem redderet, ipſa de ſe ſacrificium facere, quale quale poſſet, pro eo conſtituit. Ac primo quidem omnibus ſibi variegati operis, ac coloris uti veſtibus, quas ne e ſerico quidem, ſed e lana deinceps geſtaret, easque luctui concolores, interdixit, tæniis duntaxat exceptis, quas in luctu etiam adhiberi mos eſt. Tum vero Palatii ambitu tam arcte ſe incluſit, ut pedem e Regia, niſi ad Baſilicam Patriarchalem, eamque occulto tantum aditu viſendam,

toto anno non efferret. Et ſesquimenſem quidem inter conclavium ſuorum parietes ita ſe continuit, ut præter domeſticos neminem ad colloquium admitteret, ſacrisque adeo ipſis, non niſi in ſacello, conclavi ſuo adjuncto, intereſſet. Quas interea preces pro defuncto conjuge, quas lachrymas fuderit, ut propitium ei Numen, & expeditum in cælum tranſitum exoraret, pro incomparabili ejus in Regium nuper conjugem amore, & cetera in defunctos pietate, conjicere pronum eſt. Nulla certe dies, toto illo annui luctus tempore, abiit, qua non pluribus in Eccleſiis Divinam hoſtiam, multorum ſacerdotum manibus, offerri curaſſet pro defuncti Regis anima, ipſaque totum defunctorum officium recitaſſet. Eadem religio poſtea, anniverſaria quavis Nata-

lis ejus, Nominis, & obitus die, quin & sexta quavis cujusque hebdomadæ feria, qua Regem ex humanis excessisse contigit, redibat, eodem semper fervore, toto quo superstes Regina erat vitæ tempore, renovata, quibus diebus etiam fere semper publico abstinuit, totaque in preces absorpta, neminem ad se, nisi ad familiaria obsequia admisit.

His pro Marito Rege pie decretis, ac susceptis, totam sese intra se collegit, & sacris commentationibus, ex præscripta a S. Ignatio forma, mentem excoluit. Nihil id quidem novi erat Reginæ, quæ annis fere singulis toto octiduo sacram in solitudinem se abdere consueverat, ut rationes animi cum Deo componeret, & quid Deus a se exigeret, accurata meditatione exploraret. Sed quod nihil

nihil nunc, ſecus, ac alias obturbaret, & otium utile a curis, & Regni negotiis nactam ſe crederet, toto nunc ſibi animo in rerum cæleſtium meditationem incumbendum putabat. Hac comparatione animi rem aggreſſa, meditandi tempora, quaternis in dies ſingulos horis definita, tanta contentione, ac fervore exegit, ut ſi tum primum ad veri luminis agnitionem acceſſiſſet. Admirationi mihi erat, cum ea, quæ in ſancto illo ſanctæ contemplationis otio accepit lumina, mecum contuliſſet: videbam enim, quam alte in ſe deſcenderit, quam ſolerter intimos animi receſſus excuſſerit, & ad ipſas quodammodo motionum, ac cogitationum fibras penetrarit, quantillæ labeculæ, & vix paucis cognitæ, illa in luce illi pateſcerent. Ac ne ſic quidem ſatis ſibi

ocu-

oculata videbatur. Optabat, atque etiam flagitabat a me ſcire, quid ipſe, quid alii nævorum in ſe advertiſſent: non ignotum ſibi eſſe ajebat, quam cæcus amor ſui eſſet, quam multa, ſub recti integumento, prava ſæpe in animo laterent: aliis nos oculatos eſſe, nobis cæcutire: ipſos oculos, cum alia conſpiciant omnia, ſe ſe ſine ſpeciali adminiculo non videre: cumque animorum ſatis eſſet, ad impedimenta omnia, quæ in via virtutis occurrunt, cum Dei gratia ſuperanda, viam tantum, rationemque ad ea tollenda, aut vincenda indagabat. Ex his præter eximios in ſui cognitione progreſſus, agnoſcebam facile, quam ſublimes aleret de Deo, & cæleſtibus ſenſus, quam ſanctis urgeretur deſideriis, quanto ardore ad ſumma quæque Chriſtianæ virtutis niteretur.

In

In ſeceſſu hoc ſancto cum dies octo religioſiſſimè exegiſſet, ſe ſeque novis ardoribus ad abſolutiſſimam vitæ ſanctimoniam incendiſſet, iterum in mentem venit, id quod dudum optabat, & ſtatim ſub meum ad audiendas confeſſiones acceſſum, ut vitæ totius labes, jam inde ab ineunte prima ætate contractas, generali confeſſione expiaret. Id conſilium, quanquam ob perſpectam mihi jam aliunde vitæ ejus intemeratiſſimæ integritatem, initio non probarem; ne tamen Reginæ judicio minus tribuere viderer, modeſte rogabam, numquid anxiæ ſolicitudinis in animo reſideret, cui eximendæ hac ratione conſultum vellet. Negabat illa, quidquam in ſe anxiæ ejusmodi curæ reſidere, fatebaturque ultro, confeſſionem quamlibet ita a ſe hactenus eſſe factam,

factam, ut si mortalis vitæ fuisset ultima: nosse se Sacramenti Pœnitentiæ sanctitatem, ad quam neminem, nisi probe discussum, ac erratorum pœnitentem oporteret accedere: aliam sui consilii non esse rationem, ac ne quid interioris status sui lateret conscientiæ arbitrum, cujus se ductui, ac directioni permisisset. Id se monitam ab Augustæ memoriæ Patre suo adhuc teneram, id a sanctissima Matre sua accepisse, id e libris etiam piis postea, sanctisque didicisse, inter præcipua ad meliores in spiritu progressus adjumenta esse plenam interioris hominis notitiam, idoneo animorum directori factam. Quod cum diceret, illud pro Clementissimo in nos animo, non sine rubore meo adjecit: verum quod, etsi societati nostræ perhonorificum, ne tamen

men extra rhombum ferar, laudisque argumentum, paucis fortaſſe ſæculi hujus more jucundum, tractem, conſultius tacendum putavi.

Cedendum igitur nunc minimum erat Reginæ optimæ religioſiſſimo, & renovato deſiderio: quod & mihi, eo nunc ſaltem commodum videbatur, ut ſi quando, me vivo, ut ſunt humana, repentino aliquo facto, ſui impos, ad extrema deduceretur, facile mihi, promptumque eſſet, vel elinguem, ac ſibi quodammodo præmortuam, eo in rerum articulo adjuvare. Credideram equidem ad exponendum vitæ ſuæ ſtatum generatim ab ea explicanda omnia, & in pauca conferenda; ſed Regina, accurate omnia, & ſummo cum ſtudio agere ſolita, viginti ipſos dies in reddenda mihi vitæ totius ratione extraxit, ſingulaque,

quæ

quæ ad propoſitum finem facerent, tanto ordine, candoreque expoſuit, ut ſi Deo judici, ante actæ vitæ rationem repoſcenti, reſponderet. Audientem iſta vix majeſtatis reverentia cohibuit, quin apud me in Dei laudes erumperem, electas animas tam intemerato calle, inter mundanas has varietates, ſtabili gradu ad ſummam virtutem deducentis. At Regina his non contenta, proximos quinque dies ſibi ſepoſuit, quibus ea, quæ ſacris clavibus ſubjicienda putabat, in chartam ex ordine conjiceret, ac ſubinde pro ſacro tribunali ea ſubmiſſione, ac pœnitentis animi contritione recenſuit, ut ſi maximorum ſe criminum ream agnoſceret. Subjecit deinde inſignem illam grandibus affectibus, & magnarum converſionum indicem, proteſtationem

nem ex Francifci Salefii Philothea Cap. 20. depromptam, fe feque ad ferviendum deinceps totis viribus Deo arctioribus vinculis adftrinxit.

Neque hic ftetit religiofus piiffimæ Reginæ ardor, quæ fe non qualem qualem victimam, fed holocauftum, nulla fibi relicta libertatis parte, Deo immolare cupiebat. Diu enim anceps hærebat, an relicta penitus Aula, Religiofo in cænobio, iisdem cum facris loci Virginibus legum, ac votorum vinculis obftricta, quod ætatis effet reliquum, exigeret; & cæleſte ad hoc lumen multis precibus a Deo flagitabat. Erat in oculis Auguftæ quondam Matris exemplum, fimili ardore ad Religiofam cænobii folitudinem afpirantis; & fperabat fieri poffe, ut, quod illi gravibus de caufis non conceffum

ſum eſſet, ſibi minime negaretur. Sed ubi cognovit, rerum præſentium ſtatum aliud exigere, nec ſereniſſimos Filios pio huic conſilio facile ſubſcripturos, acquievit recta monentibus, & ſanctis etiam deſideriis modum adhibuit. Quod unum tamen potuit, ſacrarum Virginum more, nuncupato privatim perpetuæ caſtimoniæ voto, immortali ſe ſponſo Deo obligavit. Quanquam enim nec ætas, nec conditio pateretur, ut ad alias nuptias tranſiret, ajebat ſe tamen S. Franciſci Saleſii monitu, & Eleonoræ Matris exemplo, exiguum id libertatis, velut Evangelicæ illius viduæ minuta duo, Deo offerre. Quam voti religionem, annis deinceps ſingulis, feſto Virgini ſine labe conceptæ ſacro ſumpta ex meis manibus cæleſti Hoſtia, ſummo cum pietatis ardore renovavit.

Jam

Jam ut in dicendis Deo laudibus, meliori etiam, quo poſſet, modo æmularetur dicatas Deo Virgines, quotidie mane, ac veſpere ad Patriarchalem Eccleſiam, Palatio adſitam, itabat: nec matutinis tantum Dei laudibus, quæ a numeroſo ibi Clericorum Choro, æſtate media ſeptima, aliquanto ſerius hyeme decantantur, religioſiſſime intererat; ſed Divini etiam officii partem eam recitabat & ipſa, & ſacrificiis omnibus ad horam usque undecimam, nullo hyberni frigoris, nullo ſitus victa incommodo id ætatis Domina aſſiſtebat. A meridie rurſus veſperas quotidie, completorium, & ſi quæ haberentur, Litanias audivit, & Divini officii curſum, ſociatis cum Eccleſia precibus abſolvit, ut renovare quodammodo Annæ illius in Evangelio laudatæ exemplum

videretur, quæ a templo nunquam diſcedebat.

Luſu toto hoc annui luctus tempore, atque etiam deinceps, penitus ſibi interdixit: quanquam & alias antea raro, nec niſi cum honoraria, cujus tum vices in Reginæ obſequio erant, domina lucri, vel jacturæ exiguo diſcrimine, ludebat. Sed ne quid temporis ſibi inter otium detereretur, horis ſubſecivis, & a cæna proximis, manus Regias contexendis, quas Franciſcani Patres ab Hieroſolymis quotannis miſerant, corollis Marianis occupabat. Remiſſiones ceteræ, ſi quas exacto luctus tempore, admittebat, ejusmodi fere erant, quæ aut pietatem Reginæ, aut comitatem commendarent. Sæpe Taurorum ludi ante Regiæ eam partem, cui Reginæ conclavia imminebant, magno populi

puli concurſu celebrabantur : ſed Regina ſpectaculi id genus, quamvis in oculis eſſet, nec ex abdito ſpectare voluit; ſed eo fere tempore, vel ad remotam aliquam Urbis Eccleſiam, vel ad Virginum quoddam monaſterium, quarum piis ſermonibus delectabatur maxime, ſe conferebat. Hanc ab omnibus oculorum deliciis abſtinentiam Reginæ Matris cum Rex Filius obſervaſſet, ſemel, iterumque Eidem obtulit præſtantiſſimos in arte muſica phonaſcos, quos ad ludos ſcenicos ex Italia evocarat. Sed illa aurium non minus, quam oculorum illecebras averſata, actis modeſte Regi gratiis, audituram ſe illos reſpondit, ſi veſperarum tempore Pſalmum aliquem, aut ſacri aliquid Hymni decantarent: adeo nihil placebat, niſi quod animum ad Divina attolleret.

Nondum annui luctus extrema effluxerant, cum ad Regem Filium, ex oculo laborantem, materna Eam charitas e Palatio extraxit. In Bellem is agebat: iter igitur Regina Mater, ſed privatæ inſtar, ac ſine pompa Regia eo ſuſcepit, diesque aliquot maternæ pietatis officia Regi exhibuit: reſtituta vero ejus valetudine, ad ſuam ſe ſolitudinem continuo recepit. Interea ſolennes luctus dies exierant: nec jam ratio permittebat, publico ut diutius abſtineret. Sed quæ viduam ſe meminiſſet, & defuncti Regis conjugis memoriam ponere nunquam vellet, luctum ſibi in ipſa pompæ Regiæ magnificentia negligendum non putabat. Septennis ſemper in publicum procedebat curribus, ad luctum compoſitis, & atrato intus holoſerico lugubrem in modum conveſtitis: eodem cul-

tu

tu & inferior ſtabuli Præfectus, qui eques præibat, & cubicularii, Reginæ ad currum comites, quin & aurigæ ipſi, ac pediſſequi, atrati omnes utebantur; Regio ſolum ſatellitio, quo currus ſtipabantur, uſitata alias arma, veſtituſque erant, ut Regii cuſtodiam corporis eſſe ſcires. Affectabantur Reginam Aulæ Primores, & præcipui ſexus utriuſque Nobiles, Ejus Aulæ adſcripti. Hoc nunc ornatu, & ordine iterum Regina ſe in conſpectum dedit, rectaque ad S. Vincentii, quæ Canonicorum Regularium Ulyſſipone eſt Eccleſia, quod corpus ſereniſſimi, ac Fideliſſimi Luſitaniæ Regis JOANNIS V. conjugis nuper ſui, depoſitum ibi ſervaretur, proceſſit, ut pietati ibi ſuæ ante omnia ſatisfaceret, & ſuas cum populo preces pro defuncti Regis anima ſo-

 ciaret.

ciaret. Nihil non magnificum, ac pium eo in progreſſu erat: unde ingentes ab omni parte concurſus fiebant, populo ad Reginæ conſpectum, quo tanto tempore carendum erat, turmatim concurrente. Sed conſpecta hac lugubri pompa, pene erat, ut lætitia publica publicum in luctum verteretur. Adeo tanta rerum converſio animos omnium commovit, & triſtis ea luctus in Regina ſpecies, non gaudium, ſed lachrymas videntium excivit.

Atque hæc de vitæ Ejus ſerie univerſim dicenda habui; nunc ad virtutes, quibus ſingulariter eminuit, progredior.

CAPUT IX.

De precandi, meditandique ſtudio.

Cum vita, mores, ſtudia Reginæ in oculis eſſent omnium, illud-

illudque in omni actione æquabile, temperatum, placidum, alacre tamen, ac ſerium admirationi eſſet, eam facile in opinionem veni, morum iſtam temperiem non ex nativa quantavis indolis bonitate, ſed ex ratione, ac virtute proficiſci. Nec dubitare admodum poteram, ut qui tam arctam Reginæ per aſſiduum orandi ſtudium cum Deo conjunctionem probe noſſem. Quid enim ageret aliud, quid moliretur, quæ Deum aſſidue, & quæ Dei ſunt, in mente circumferret? Hanc perpetuam cum Deo conſuetudinem oratione gemina, quam ſpiritualium rerum magiſtri *mentalem*, & *vocalem* appellant, conſecuta videtur. Prior illa, cui potiores partes illi recte tribuunt, quam inſueta vulgo hominum, tam illi uſitata fuit. Ad hanc a teneris annis mentem aſſue-

fecerat: hæc creſcente ætate ita cum illa adoleverat, ut Divinarum rerum contemplationi non modo faciliter, ſed jucunde etiam inhæreret. Aſſiduum meditandi Divina ſtudium eximiam de Deo ideam in mente efformavit, quæ a terrenis avulſam, eo tandem ſublimem extulit, ut ſui pene oblita, aliud nihil, ac amorem amoris ſui, & honorem ejus majeſtatis, ad quam humana omnia inſtar nihili ſunt, ſpectaret, & amaret. Contemplabatur frequenter ſummi illius, & ſuperexcellentis Boni præſtantiam, cui adhærendo nunc beatam, quo æternum perfruendo beatiſſimam ſe fore ſperabat. Colligebat omnia amandi, colendique Dei ſui nomina, & frequenti conſideratione expendebat: unde deſideria illa ſua, ac pia ad Deum ſuſpiria continere intra ſe non ita

po-

poterat, quin in linguam persæpe, & voces erumperent, & sancti illius, quo intus deflagrabat, amoris indicium familiaribus facerent; quæ insuetum hunc animi æstum demiratæ, Reginam suam non nisi sanctam, & Seraphicis plenam ardoribus prædicare solebant. Et certe quod in regali fastigio tanta demissione, inter tot sæculi illecebras tanta caducorum despicientia, in tanta humanorum casuum varietate tanta animi pace uteretur, non aliunde proficiscebatur, quam ex jugi illo meditandi studio, quo & rerum mortalium inanitatem, & nostram sine Divina ope egestatem, ac imbecillitatem, supremum demum rectoris, ac moderatoris Dei in mortalia omnia dominatum, justum semper, nobisque salutarem assidue sibi in memoriam revocabat. Neque enim nuda solum

lum rerum cæleſtium contemplatione intellectum paſcere ſolebat; ſed ad regendam ex Divinis rationibus voluntatem, ad vitæ ſanctioris uſum, ad inſerendas animo virtutes omnia dirigebat, Habebat piorum librorum præſtantem notitiam, ſed ad quotidianam meditationem non ſublimes quoslibet, ſed obvios, & uſu probatos adhibebat, utiliter ſatis ſibi contemplari viſa, ſi, quod illi ſuggererent meditandi argumentum, ad quotidianum ipſa uſum referret. Et retuliſſe etiam, res ipſa docuit: ita enim diem quamlibet tranſigebat, ut momenta pene ſingula, ex præcepta animo, matutino tempore, operum idea decurrerent; ita actiones ipſas ſancte, pieque transigebat, ut non uſu quodam, ac conſuetudine, ſed virtutis imperio ſuſceptæ viderentur.

Quo-

Quotidianæ meditationi orationem, quæ voce peragitur, & plures diei horas illi eximeret, adjungebat. Preces has a diei exortu, cum lecto se tolleret, auspicari solita, ad meridiem fere (si meditandi tempus, librosque pios legendi detrahas) perducebat. Ac ne particula quidem boni diei sine pietatis opere transiret, etiam dum vestiretur, & comeretur, libelli aliquid pii vel legebat ipsa, vel ab ancilla honoraria sibi prælegi volebat. Sacrificii tempus ubi appetebat, ad Sacellum, vel Templum se contulit, tribusque, cum poterat, ex ordine sacris ea ratione interfuit, ut sub primo sacerdotis verba, verbis suis, quo ad licuit, e missali repeteret; sub secundo, & tertio aut horarias Divini officii preces, aut Rosarium Marianum recitaret. Similem in modum

dum a meridie Veſpertinis Dei laudibus, & completorio aſſiſtebat. Tum enim, quod reſtabat ex Divino ejus diei officio, perſolvere, aut piæ meditationis argumentum quoddam expendere conſueverat. Tam longa, tam frequenti in oratione, quemadmodum tota mente in Deum intenta, ita ſumma ſemper, quæ præſentium oculis admirationi erat, reverentia perſiſtebat, flexis ſemper genibus, nec pulvillo, nec ſcabello innixa: vires haud dubie ſeneſcenti jam Reginæ ſufficiente ſpiritus ardore illo, quo ſub precum initia præſentem ſibi Deum ante oculos mentis conſtituere fide viva ſolebat. Atque iſtud precum quotidianarum penſum erat, quas veſperi accurato conſcientiæ examine, & longa in Divinam protectionem ſui, Regnique commendatione,

ante-

antequam cubitum concederet, religiosissime claudebat.

Erant tamen quædam per annum tempora, ut sacri Adventus, Natalis Domini, sanctioris Hebdomadæ, Paschæ, Pentecostes, Theophoriæ; & qui Dei Parentis Virginis, ac sanctorum, quos præcipua religione colebat, dicati honoribus dies, quibus pietati suæ totas habenas laxabat. Sed de his infra fiet mentio. Hoc loco præteriri non debet, quanto studio per octiduana S. Ignatii de Lojola Exercitia animum jam Divinis assuetum quotannis excoluerit. Eligebat tempus, quod ardori suo opportunius, & ab occupationibus magis liberum videbatur, omnesque eos dies in acerrima sui erga Deum, hominesque officii disquisitione, in contemplanda Christi vita, ejusque virtutibus imitatione ex-

exprimendis, in reddendo denique infinitis ejus in nos meritis, ac beneficiis amore exigebat. Surgebat ſolito maturius, partiebatur matutinum tempus in meditationes binas, pomeridianum in conſiderationem, & meditationem tertiam; & cum mane trinis de more ſacrificiis religioſiſſime adfuiſſet, quidquid reliquum erat temporis, in librorum piorum lectione, in præparanda ſecuturæ meditationis materia, vel notandis, quæ ex pia hac commentatione hauſiſſet, documentis collocabat. Unam tamen quotidie horam ſibi ſeponebat, qua cum moderatore conſcientiæ ſuæ conferret ea, quæ vel remedii aliquid, vel conſilii poſcerent. Nihil candore Ejus, nihil prompta ad ducendum, quocunque ratio, aut virtus vocaret, facilitate animi admirabilius. Aperiebat

ipſa

ipſa ſe ſe, moneri tam facilis, quam cupida emendari: proponebat ea, quæ frequentius ad recte agendum impedimento eſſent, & particulari, ut vocant, examine ſubmovenda. Magno hoc genus examinis Reginæ in pretio erat, & uſu conſtanti: quod eam artem, ad evellendas noxias quasque vitiorum fibras efficaciſſimam, a Matre quoque ſua ſanctiſſima didiciſſet. Ex collatis porro cum conſcientiæ arbitro ad hunc modum vitæ ſuæ rationibus triplex Regina conſequebatur commodum: primo, ne in iis, quæ ad perſpectius Deo ſerviendum judicio tantum ſuo (quod gravioribus præſertim in rebus periculo ſæpe non caret) uſa videretur: tum ut factorum ſuorum, ac conſiliorum rationem ſecurius Deo redderet, quod ſciret nihil a ſe, niſi ejus, qui apud ſe

locum Dei haberet, judicio ſuſceptum: demum ut ejus etiam meriti, ac præmii quadam ratione participem ſe redderet Regina, quæ ſuperiorem agnoſcit neminem, quo gaudent eæ, quæ religioſa ſub obedientia, alieno a judicio, nutuque pendent; atque adeo eo ſubmiſſionis, & voluntarii obſequii genere, reliqua pia opera nobili auctario coronaret.

CAPUT X.

De miſericordia in pauperes, & liberali quibusvis benefaciendi ſtudio.

Ingentem mihi campum aperiri video, cum de pia Ejus miſericordia, & profuſa in pauperes, miſeros, & ſubſidii egentes liberalitate ſcribere aggredior. Nulla ex tot aliis conſpectior in Regina virtus, & quæ plures de illa ſer-

mo-

mones dederit. Cum enim in omnium ore miſericordiſſima ejus pietas verſaretur, & MATRIS PAUPERUM glorioſum nomen jam dudum illi velut proprium aſſereretur ; non defuere tamen , qui juſtæ liberalitatis fines immodicis largitionibus Reginam egredi, nec tenere modum in beneficentia quererentur. Non latebant Reginam ſequiora iſta quorundam de ſe judicia, quæ tametſi bonam in partem acciperet, cauſam tamen ſuam apud familiares graviter ſimul, pieque defendebat. Prodigam me dicunt, ajebat, quod beneficam me experiantur pauperes, in quibus Chriſtum agnoſcere Evangelium me jubet: an amare illum poſſim, ſi iſtos negligam, quos ipſe ſibi ſubſtituit? an non lex eadem, quæ Deum amari præcipit, etiam proximum a me diligi

jubet? Quid reſponderem Deo, ac Domino meo, qui me hoc honore fungi, his affluere opibus voluit, ſi, quibus præeſſe, ac prodeſſe debeo, qui meam opem implorant, qui aliud rerum ſuarum ſubſidium non habent, manum meam ſubtraham, & deſtitutos ope, a ſpe etiam depellam? quis enim ſubveniat miſeris, ſi Regina non ſuccurrat? aut quod ſperare a Deo poſſum rerum mearum præſidium, ſi miſericordiam iis, quos meæ ille curæ, ac providentiæ commiſit, non exhibeam? Prodigam me dicunt, quod tantillum e rebus meis mihi ſubtraham, & in ſinum pauperum congeſtum in cælum præmittam: at enim prodigam non vocarent, ſi in ludum, & ſcenam, in luxum veſtium, in gemmas, & ſpecula, in phaleras equorum, in hortos, & palatii ornamenta the-

ſauri

ſauri partem abſumerem: ſic enim magnitudinem me Regiam tueri arbitrarentur. At quæ verior tuendæ magnitudinis ratio, ac miſeris ſubvenire? Id me ſanctorum Regum, & Reginarum maxime, exempla docent, quarum nomen, & famam non mundus muliebris, non gemmata monilia, non luxus, & deliciæ, ſed pietatis, & miſericordiæ opera æternitati commendarunt. Hæc Reginæ noſtræ de his erant judicia, variis in locis, ſæpiusque audita.

Et vero cælo dignum ſpectaculum erat, quoties ſalubrioris cæli cauſa Tago flumine, aut terra, id quod hebdomada qualibet ſemel, aut iterum facere conſueverat, in publicum exibat: tum enim effuſa ad ripam fluminis, aut in atrium inopum turba, obſidere tranſituræ viam, aut currum cir-

cumsistere, & moris Reginæ jam gnara, imbrem argenteum expectare solebat. Et vero tam largam semper stipem dividebat, ut quæ refertum probe sacculum secum extulerat, vacuum plerumque referret; sæpe etiam, ut postulantium multitudini satisfaceret, mutuari interim a Regiis, qui in comitatu erant, Camerariis, argenti suppetias cogeretur. Idem frequentius contingebat, quoties ab urbe diutius aberat: tum enim ad parati æris summam, ne quid miseris deesset, mutua fere adjicienda erat pecunia, quæ in reditu dissolveretur. Jam vero libellorum supplicum, quos nobiliores etiam, sed a re familiari imparati, vel in via, vel in templis, vel demum in Regia, aliena quoque frequenter manu porrigebant, integri sæpe fasces erant, aut alimenta, aut an-

nua

nua ſtipendia ſibi flagitantium: quibus Regina, ſi non omnia, quæ petebant, poſſet concedere, largum tamen æris ſubſidium conferebat, quod in ſummam redactum multa quot annis florenorum millia confecit.

Tam beneficam Regiam manum cum plurimi experirentur, multi etiam, ut vel ſuis, vel prolium ſuarum rebus conſulerent, Matrem ut luſtricam in Baptiſmo agere dignaretur, Reginæ ſupplicarunt. Et erat, quæ expugnari facile poſſet: conſiderata enim ſacri hujus officii dignitate, nihil cunctata: Camerario de ſuis uni mox in mandatis dedit, ſuo ut nomine prolem ex Baptiſmo ſuſciperet: quam Regia ſubinde liberalitate donatam, majoribus ſæpe ſubſidiis, creſcente jam ætate, adjuvit. Quid annua memorem be-

neficia, quæ in cænobia egeſtate preſſa, in pia Sodalitia, ſed neceſſariis ſumptibus deſtituta, in publica pauperum contubernia, inductajam in morem annua liberalitate, munifica contulit, multis florenorum millibus vix redimenda: In Hoſpitali majori, ſeu Orphanotrophio tres conſtanter nutrices, quæ matrum officia parvulis præſtarent, ſuis ſumptibus alebat. Pueros, puellasque magno numero per cænobia diſtributos, nutriendos ſuo ære, educandosque curabat: quorum ſi qui deinde ad ſacrum quoddam inſtitutum animos adjicerent, & neceſſariis illos ſumptibus, & veſtibus inſtruxit; Virginum vero aut ingreſſum in monaſteria, aut publicam votorum profeſſionem ſuis expenſis, & perſæpe ſua præſentia auguſtiorem reddidit. Ita Ulyſſipone nullus

ſexus,

ſexus, nulla ætas fuit, quo maternam Regina pietatem non extenderet.

CAPUT XI.

Humilitas, manſuetudo, & inter adverſa animi æquitas, & tranquillitas.

Ignotum antiquis Philoſophis nomen, Humilitas, ſed Evangelica lege, & Chriſti ore laudatum. Regina noſtra, quæ virtutes non ex vulgi judicio, ſed ex Chriſti doctrina æſtimare noverat, non minori Humilitatem ſtudio, quam aut munificentiam, aut Clementiam, virtutes utique Regias, conſectabatur. Quanquam enim ſe ſummo inter mortales loco natam, & Regio in faſtigio collocatam ſciret, negabat ſe tamen majorem eſſe, quam in oculis Dei eſſet, qui non ex ſpecie extima, ſed ex interioribus animi bonis homines ju-

dicaret: Auguſtos natales, honorem Regium, & quidquid id eſſet inter homines majeſtatis, Dei quidem dona eſſe ajebat, & beneficia; ſed tum demum iis, in quos collata eſſent, profutura, ſi incitamento forent ad parem tanto nomini virtutem animis inſerendam, & quam expreſſiorem in ſe gererent Dei, rerum Domini imaginem, ſanctioris etiam vitæ exemplis tuerentur: ingratam ſe Deo, imo injurioſam futuram, ſi ex collato ſibi Regni honore evaneſceret, & quod inſtrumentum eſſe debebat, tuendæ, & augendæ Divinæ gloriæ, in ſuam ipſa ſuperbiam converteret.

Hunc animi ſui ſenſum non verbis magis, quam rebus ipſis exprimere ſolebat. Tametſi enim e throno ſublimis, & omnibus ornata majeſtatis inſignibus, reveren-

tiam

tiam ſibi conciliaret; adeo tamen majeſtatis illam ſpeciem clementia, ac comitate temperabat, ut maternum imperium in Regio agnoſceres. Audiebat ſupplicum querelas, & ut intimis ſenſibus eam tangi illorum calamitate ſcirent, non verbis modo, ſed oculis, vultuque ipſo, quantum doloris, ex eorum vel incommodis, vel injuriis hauriret, indicare ſolebat. Crederes longo uſu, & familiaritate ſibi junctos, notos quoslibet, ignotosque, adeo nihil tam magnum, nihil tam parvum erat, de quo ad ſupplicum ſolatium non percontaretur; ſatisque apparebat (in quo Reginæ charitatem cernere licet) Eam res eorum proſperas, adverſasque ſuas ducere, gaudere cum gaudentibus, dolentibus condolere. Contigit non ſemel, ut præſente Regina, vel in Templo,

plo, vel in compitis, repentina vi morbi oppreſſum, & proſtratum videret aliquem, hujus nunc vice Regina non minus, quam ſuorum anxia, medicinam ſtatim, quam ad manum fere ſemper habebat, mittere; aut ſi malum eſſet gravius, medicum de ſuis aliquem, chirurgum, Pharmacopæum accerſere ſolebat, qui curationem ægrotanti adhiberent, illud identidem ad ſuos ingeminans: fratres, vel ſorores noſtræ ſunt, tantilla ſpe, & ſolatio deſtituere non debeo, nec volo. Neque vero deſtituit unquam: ſed cum morbi vis diuturnior in lecto detineret, ſciſcitari aſſidue de eorundem valetudine; ſi ex morbo deceſſiſſe intelligeret, eandem ſolicitudinem ad eorum ſepulturam, & relictos pupillos extendere ſolebat.

Quæ

Quæ tanta in obvios quosque, & ignotos facilitate erat, quam lenem, manſuetam, ac Clementem ſe ſuis exhibuerit, dicere vix attinet. Unam pene de multis putares Reginam tot provinciarum Dominam, ita comem, affabilem, ac pene familiarem ſe iis exhibebat, qui aut honorario illi obſequio, aut ſervitii aliquo genere præſto erant. Nihil in illa aſperi, nihil moroſi, ac ne imperioſi quidem: æqualis in omnes benignitas, nec ſine præclaræ de iis exiſtimationis ſignificatione, ſic,ut præcipuo quodam ſe ſingulæ amore diligi putarent, ac ne idcirco invidiæ paterent, modeſtius cum ceteris agere cogerentur. Atque id ipſum erat Reginæ conſilium, ut æmulationi viam præcluderet, & mutuam inter illas charitatem aleret, ac foveret. Et conſtabat operæ pretium,

tium, adeo enim aberant nationum ſtudia, ut inter Luſitanam, & Auſtriacam, quarum ambæ Reginæ ab obſequio erant, nihil intereſſe videretur. Nihil in ejus ſervitio grave, quod roganti ſimilior, quam imperanti exigeret, quæ nemo non ultro tam benignæ in ſe Dominæ exhiberet.

Sed quæ exteriore benevolentiæ ſignificatione ita æquabat omnes, ut de præcipuo gratiæ loco nulla vel dubitare, vel gratulari ſibi poſſet; ſingularum tamen merita apud ſe ex æquo penſabat. Neque vero ſi quid reprehenſione dignum in aliqua occurreret, ita connivendo diſſimulabat, ut delinquendi licentia ex impunitate creſceret: ſed ne in reprehendendo lenitatis modum excederet, vel culpæ qualiscunque ream immodico mœrore afficeret, aut etiam

aliarum dicacitati exponeret, ea ſibi ratione agendum cum illa putabat, quæ & delicti illam ſui commonefaceret, & rediturae mox gratiæ ſpem non adimeret. Itaque ſi quid emendandum videbatur, per ſupremam Aulæ ſuæ Præfectam, vel Confeſſarium ſuum clam admonebat ream, utili, ut ajebat, conſilio, tum ne rea aut negando, aut male excuſando culpam aggravaret ſuam, tum ne impotenti abrepta triſtitia, ſuſpicionem ſibi, aut contemptum apud æquales excitaret.

Fuit tamen, cum famæ multarum intereſſet, ſeverius in unam animadverſum. Puella erat infimo loco nata, & ad mediaſtinæ tantum Aulæ ſervitia adhiberi ſolita, cujus cum omnis opera in everrendis tantum, repurgandisque Regiis conclavibus verſaretur,

im-

improba habendi cupiditate victa, pretiosa quædam ex aurea Reginæ supellectili semel, ac iterum suffuratur. Facti indignitas, cum lateret author, omnes commovit, honorarias maxime ancillas, in quas suspicio cadere ante alias poterat, ut quibus solis fere ad Regia conclavia esset aditus. Sed enim ingens furti pretium brevi, & furunculam detexit, & ceteras cura, ac solicitudine liberavit. Emptorum indicio patefacta, cum jam nec locus mendaci inficiationi esset, crimen fatetur. Decori ratio non permittebat, ut in Palatio id genus probri diutius hæreret; itaque rejecta servitio, & ex Aula amandata, tametsi Reginæ indulgentia, vitæ illi facta esset gratia; miserrime tamen habitura erat, nisi justissimam Regina sententiam pia Clementia temperasset.

ſet. Vivere igitur in urbe permiſſa, atque ut viveret, a Regina injuriæ immemore, Regio etiam ſtipendio adjuta, multisque beneficiis aucta, Regiæ, quoad ſuperſtes erat, Clementiæ, & lenitatis exemplum fuit: alios enim, depeculatores videlicet Regiorum vectigalium, ut culpæ confeſſio ſpontanea pœnæ exemit, ita Regiæ etiam Clementiæ exemplis publicis addixit.

Sed hæc virtus, tametſi in Principe acri, & juris ſui tenace, laudem meretur maximam, admirabilitatis tamen minus habere ſolet, quod ſæpe a mitiore indole, moderata ſanguinis temperie, vel lenta quadam mediocritate proficiſcatur. At vero arduis in rebus, & adverſis caſibus non moveri, eundemque erga Deum animum in omni fortuna retinere, id vero vir-

tutis est communem modum supergessæ. Talem vero in Regina nostra observare ubique licuit. Evenere non nunquam, quæ consilium pene, & auxilium auferrent: agebatur de salute Regis, Regnique, & multiplicatis funeribus Domus simul Augusta, simul Regia efferri videbatur. Periclitabatur India, & quæ tota illa Asiæ ora illi charior erat Christiana Religio, in arctum cogebatur: bellorum fremitus, quæ cognatos, aut amicos sibi Principes inter se colliserant, auribus quotidie insonabat. Perstabat tamen inter ista, sui semper similis, Regina Deo chara, suamque voluntatem Divinis ejus de se consiliis humillime submittebat: semper in ejus ore erat: Deus infinite bonus est, infinite potens, infinite sapiens: scit, quid expediat; potest, quod vult;

vult, quod nobis ſeu ad pœnam, ſeu ad præmium ſalutare: & quis eſt, qui ejus voluntati reſiſtat? Hac comparatione animi cum ſubiret omnia, & flagella etiam in beneficiis numeraret; eo etiam ſancti ardoris, vel in ſummis terroribus, & periculis efferebatur, ut regreſſa omni animi ægritudine, tanquam in rebus ſecundiſſimis Deo exultaret, & Ambroſiano Hymno gratias ageret.

Auguſtorum Parentum, Fratrumque Imperatorum funera, tametſi pectus Reginæ alte effoderent, dolorem tamen ſuum hac Divinorum conſiliorum conſideratione ſolabatur. Sereniſſimarum ſororum, Eliſabethæ, ac Magdalenæ obitum, quanquam inter lachrymas audiret, quod ſororia illa charitas, quæ cum ætate adoleverit, nec in ſenectute conſe-

nuerit; ita tamen moderate tulit, ut diceret, ea ſibi ſolatia, quæ ex mutuis earum literis percepiſſet, a Deo ſubtrahi, ut diſceret horum inopiam cum Chriſto, & pro Chriſto pati, & ſubtractis humanis ſolatiis, Divina ſolum conſectari. Graviſſimum vulnus erat, quod ex tribus ſereniſſimis Filiis ſibi morte pæreptis acceperat, quos & pro morum ſuavitate, & materna pietate diligebat intime, & Deo, Regnoque educare unice geſtiebat: ſed dolorem ea cogitatio mitigabat, quod Deo pignora, a quo accepiſſet, iterum redderet, & beatorum in cœlo numerum ſuo ſanguine augeret, habitura deinceps plures pro ſe apud Deum deprecatores, quique ſuum in Deo laudando, & amando ſtudium imperfectis ipſius conatibus felicius longe, & ardentius ſociarent. In Regis,
de-

desideratissimi conjugis sui casu, morboque diuturno, ac lento obitu, quotidie commori sibi videbatur: sustentabat tamen animum Christiana illa consolatio, quod Deo, cujus nutu fierent omnia, id visum melius, cujus adorandæ voluntati par esset omnium judicia, ac voluntates inclinari. Neque tamen, dum spes superesset aliqua, humani præsidii quidquam negligebat: miscebat precibus lachrymas, hominum, superumque opem flagitabat: quidquid in medicorum arte, in sanctorum suffragiis, in piis supplicationibus subsidii, id totum ad salutem Regis conferebat: ita tamen a Divino suspensa arbitrio, ut ejus voluntatem sanctissimam, & suis, & totius populi votis longissime anteferret.

Eadem illam armabat cogitatio, quoties vel in Austria, vel in

India bellici terroris aliquid increparet, quod aut patriæ, aut Religioni cladem minaretur. Recurrebat illa quidem ad nota orationis præſidia, ſed Deo, Exercituum Domino, & cauſæ ſuæ, & juſtitiæ vindici, ancipitis rei exitum permittebat. Corpore quidem utebatur valentiſſimo, nec morbi gravioris moleſtia, ante ſupremam ætatem, unquam tentato: ſed quæ ad omnia ferenda, ac perpetienda Deo ſe frequenter obtulerat, cum videret Regem conjugem, & Carolum Filium tanto tempore, tam gravibus oppreſſos valetudinis incommodis, vereri non nunquam cœpit, ne ea, qua Deus in ſe utebatur, indulgentia, ignaviæ ſuæ pœna eſſet, ad toleranda fortia nondum ſatis comparatæ. At ſi corpus e dolore immune fuit, animus non fuit: ut enim acerbum il-
lum

lum Regis, ac conjugis ſui caſum, quem octo ipſos annos in oculis habuit, & tot Parentum, Fratrum, Sororum, Filiorum funera non repetam, quantum animo inflixit vulnus Leopoldi Archi-Ducis, ex Carolo Fratre nepotis ſui, & Auguſtæ Familiæ, virilis ſtirpis, ultimi obitus, cum quo XVI. Imperatorum ſanguis, exigua in urna eſt ſepultus? Quam anxias curas, quos metus, quam acerbum animi cruciatum dedit noviſſimum Chriſtianæ per Orientalem Indiam Religionis diſcrimen, quæ una in urbe, eaque ab innumeris Barbaris circumſepta ſpirare & ipſa extremum videbatur? ſed cum is etiam turbo ſe fregiſſet, & longo metu Reginam abſolviſſet; tamen non deerant leviora aliqua, quæ animum propter indignitatem rerum vellicarent. Erant, qui, cum Re-

ginæ jam viduæ in refcribendo aliquando mentio facienda effet, verbis uterentur Majeftate Regia indignis : erant, qui officio publico, ut moris erat, femel deeffent, & quæ his funt fimilia alia. Fremebant ad hæc gnari ceteri; fed Regina, quali quali hac tolerantiæ materia læta, nec verbo, nec ullo adductioris frontis indicio, publicum hunc Majeftatis neglectum notavit, fed Deo id etiam Regii honoris facrificium cum Davide obtulit.

CAPUT XII.

Cultus fanctiffimæ Euchariftiæ.

Ut inter præcipua fanctæ Fidei noftræ myfteria eft fanctiffimum Altaris Sacramentum, ita præcipuas etiam in Religione partes Divino huic myfterio Regina de-

deferebat. Qua in re ut ceteris omnibus exemplo, & admirationi erat, ita pietati ipſa ſuæ ſatisfacere nunquam ſibi poſſe videbatur. Nulla fere per annum hebdomada erat, qua non ſemel, ac iterum, aut ſi feſti inciderent dies, etiam ſæpius Auguſtiſſimo Chriſti corpore ſe paſceret, nulla dies, qua non mente, & ſpiritu, cæleſti illo ſe epulo ſaginaret. Angelis dignum, hominibusque ſpectaculum erat, Reginam Aræ affuſam intueri: quantuſcunque pietatis ardor erat, totus tamen reverentia obnubebatur. Provoluta in genua, & rejectis pulvinaribus, nudo in ſolo defixa, adventum magni Hoſpitis præſtolabatur, ac ne oculos quidem in illam majeſtatem auſa intendere, flammeolo totam faciem præ reverentia tanti Sacramenti obtegebat. Suſcepto ſub-

inde ſacroſancto Chriſti corpore, in terram prona, ad ſacrificii finem uſque immota perſtabat: tum poſt longam, & piam affectibus tanti myſterii conſiderationem, actasque pro beneficio tam ſingulari gratias, Deo adhuc plena, in conclavis ſui ſacram velut ſolitudinem ſe abdebat, quo Divinis gratiis, quas a tanto hoſpite uberiores ſemper, ac majores adhuc ſperabat, opportuniorem ſe præberet. Quod ſi feſti diei major religio incideret, piorum librorum, ac eorum maxime, qui de hoc myſterio tractant, lectione nova pietati ſuæ alimenta ſufficiebat: verbo dies ea a meditatione mirabilium Dei operum maximi auſpicata, lectione ſacra, continuatis ad meridiem precibus, & gratiarum actionibus, tota effluebat.

Sed quæ in diviniſſimo hoc Sacramento ſuas unice delicias inveniebat, tanti boni participes ſemper fere ſereniſſimos etiam Liberos ſuos eſſe volebat. Sancta ea conſuetudo, ita in morem abiit, ut ne Rex quidem Filius, tantis alias Regnorum curis diſtrictus, a cæleſtis hujus convivii participatione, niſi rariſſime, ſe abjungeret. Tam inſigni Regiæ Domus in ſanctiſſimum hoc myſterium pietate, mirum non eſt, Luſitanam gentem præcipuo ante complures nationes ſtudio Sacramentum hoc maximum colere, ac venerari. Id in ſumptuoſiſſimo honoris apparatu, quo per Ferias Theophoricas Ulyſſiponenſes Divinam Hoſtiam per urbem circumferri ſolitam excipiunt, cernere licet. Mos eſt Ulyſſipone, ut ea die plateæ omnes ad excipiendum dignius velatum ſub

ſub ſpecie panis Hominem Deum, magnificentiſſime exornentur. Aulæis, ac tapetibus pretioſis feneſtræ omnes ornantur, tecta ipſa expanſis adverſus ſolem, imbremque carbaſinis, & ſæpe damaſcenis velis in theatri arcuati modum ſibi conjunguntur: ubique dependent chryſtallinæ lampades multis luminibus inſtructæ, quæ nocturnis etiam tenebris diem referant. Fora ipſa, per quæ Divinum Ferculum deportatur, geminata columnarum ſerie, ambulacra referunt, elegantis operis tecta, & picturatis myſterii ſymbolis, aut aulæis, ad elegantiam, & majeſtatem adornata; in quæ annui erectionis ſumptus compluribus florenorum millibus conſtant. Solennem Proceſſionem Eminentiſſimus Cardinalis Patriarcha deducit ipſe, quem viginti quatuor ſummi Collegii

Pri-

Primores, infulati omnes, tum secundi Ordinis Prælati, quatuor item, & viginti, ac infulati, subinde vero quadraginta octo, dicti Monsignores, Canonici, Beneficiati, Templi Confessarii, Clericique complures antecedunt. Præcedunt præterea Sodalitates innumeræ, Religiosi Ordines pene universi, & numerosi cum Clero suo ex urbe amplissima Parochi: sequuntur hos Tribunalium omnium cum suis Præsidibus Magistratus, & ex sacro militari Ordine Equitum Christi Nobiles, facibus comitantes omnes, aut magni ponderis candelis, impensa Regia instructi. Umbellam Sanctissimo Christi Corpori prætensam, octoni e prima Nobilitate per vices deferunt, Rege ipso, Regiisque Lusitaniæ Infantibus, cum ad summi Templi atrium exitur, aut redeun-

deundo venitur, pium hoc gestandæ umbellæ onus subeuntibus. Augent sacræ hujus pompæ magnificentiam Patriarchalis Ecclesiæ nobiles musicorum chori, diversas per urbis regiones, Christi laudes personantes. Solenni huic, quod recepto in Lusitania more fæmineo sexui comitari non liceret, Regina quidem non interfuit; sed quod unum poterat, intra Palatii parietes, quocunque oculis poterat consequi, Divinæ hostiæ triumphum religione non impari cum universo comitatu suo comitabatur, flexisque ad fenestras, sic, ut videri posset, genibus, piis ad Eucharisticum Numen suspiriis indulgebat. In thermis tamen, quibus Calda nomen, cum ægrotantem Maritum Regem illuc comitata esset, teneri non poterat, quin solenni supplicationi, quæ festa SS.

Ro-

Rosarii die, deducebatur, & ipsa se insereret, & umbellam sanctissimi Sacramenti deferentibus serenissimis Filiis, Lusitaniæ Infantibus, primaque Nobilitate, spectaculo ad eam diem fortasse in Lusitania nunquam viso, ardentem & ipsa facem præferret, & exemplo pietatis accurrenti catervatim multitudini præluceret.

Idem ardor Reginam subiit, quoties vel in urbe, vel extra urbem in sacerdotem incideret, sacrum viaticum ad ægrotantes deferentem. Viget in Lusitania, & Ulyssippone maxime, præclarum Sodalium sanctissimi Sacramenti institutum, qui numero, & pompa sane celebri, & haud scio, an alibi videnda, sanctissimum Christi corpus ad ægros deducunt. Sodales rubris omnes in vestibus e panno nobiliore ad talos pene promis-

miſſis præeunt, quorum unus tintinnabulo adorationem Sacramenti imperat, alii ſuſpenſas e perticis argenteas lampades, & crucifixi imaginem, alius librum ritualem, amulam cum aſpergillo alius, thuribulum, & incenſi naviculam alii, alii denique ipſa integumenta candida, menſæ, cui SS. Chriſti Corpus imponeretur, inſternenda præferunt. Sequitur Miniſter Sacramenti, Pluviali indutus, latus utrinque ſtipantibus duobus aliis Sacerdotibus, ſub umbella hexaphora elegantis operis, a totidem bajulis Sodalibus geſtata. Hoc nunc religioſum agmen ſimul, ac videret Regina, mox de curru deſcendere, & traducto jam in morem Majorum ſuorum exemplo, comitari ad ægrotum uſque ſolebat. Hic comprecantium turbæ immiſta, poſt adoratum humani generis

neris ſervatorem Deum, ægrumque precibus, ſæpe etiam ſtipe, adjutum, expectato Sacerdotis reditu, iterum communem rerum Dominum ex ægroti domicilio ad Templum usque, pulverulenta ſæpe via, ſæpe luto madida, reducebat. Et ſane cum tantæ pietatis exemplum admirabilitatis illud, quod ex novitate eſt, ipſa frequentia amiſiſſet, ſanctum tamen hunc morem, Palatinorum etiam ingratiis, ad extremam ætatem continuavit: qua cum jam ſenio gravis, ſacerdotem ſacri viatici adminiſtrum, per editiora urbis loca feſtinantem, gradu æquali conſequi non poſſet, virium defectu in obvia pharmacopæi domo ſubſiſtere coacta eſt, dum redeunte ab ægri domo ſacerdote, ſanctiſſimum Altaris Sacramentum in Templum iterum deduceret. Tam brevis

tamen hoſpitii cauſa gratia ingens Pharmacopolæ eſt reddita, Eccleſiaſtico, quod tum vacabat, beneficio in ejus filium a Regina mox collato. Sed caſus is Aulæ Principes timidiores reddidit: ut adeo aurigas juberent, occurrente ſimili occaſione, currum aliorſum flectere, & valetudinis incommodum, Regina vel invita, prævertere. Sed latere perſpicacem Reginæ pietatem fraus honeſta diu non potuit, & cubiculariorum juſſu Regio iterum mandata ſunt abrogata.

Minori quidem, ſed frequentiori incommodo, eandem ſibi religioſæ in Chriſtum pietatis legem in Aula ſanxit: quoties enim in Palatio aliqua (id quod in tanto numero frequentiſſime accidebat) gravius decumberet, Auguſtæ Matris ſuæ exemplo, moneri ſtatim voluit, ut quacunque diei, vel noctis

ctis hora ſacrum viaticum ad ægrotam deferretur, deducendo ſanctiſſimo Sacramento ſolennem & ipſa honorem haberet. Factum eſt, quod juſſerat, ſic, ut ſomnum ſæpe abrumpere Reginam, & intempeſta nocte ſurgere oporteret, quo religioſæ ſuæ in Numen Euchariſticum pietati ſatisfaceret. Et comitabatur tum quidem venerabile Sacramentum non ad ægrotas modo, ſed eodem pietatis officio ad Templum iterum reducebat. Huic religioni ſingularia etiam in ægrotantes charitatis officia adjungebat: neque enim ſatis habuit de morbi ſtatu ſæpe, & ſolicite indagare, cibos ex menſa Regia, aut medicinas ſubmittere, de ſacerdotum ſedula in comparandis ad mortem cura, ac induſtria quærere; ſed ipſa gravius laborantes multoties inviſere, ſolari in doloribus, & quid-

quid Christiana benignitas, vel levaminis, vel subsidii adferre posset, materna charitate impendere consuevit.

Sed hæc ut casus, vel occasio ferebat: at enim alia per annum stata erant tempora, quibus suam ad adorandum hoc mysterium pietatem singulari ratione demonstraret. Inter alia religiosa urbis instituta Ulyssipone in morem introductum est, ut in Aulico, quod hodie Patriarchale est, Templo, sacri Adventus primo triduo, ac rursus sanctæ Pentecostes tribus feriis, sanctissimum Altaris Sacramentum publice proponatur, a devoto huic mysterio populo, & in sua sodalitia distributo, noctu denique adorandum: quem morem subinde omnes urbis Ecclesiæ suo ordine sequuntur. In Aula ipsa, ne quæ nobilium Matronarum, ac

Vir-

Virginum eo ſe religionis officio præ aliis gravari ſentiret, conjectis in urnam nominibus, ſorti committitur, qua quæque noctis, qua diei hora ad fundendas coram ſanctiſſimo preces evocaretur. Sortibus Regina ipſa, quæ & nomen ſuum ipſa etiam ad ceterorum adjiciebat, cum duabus primi ordinis Nobiliſſimis Matronis præerat. Hac ratione, cum ex horis nocturnis frequenter incommodiſſimam Regina ſortiretur, nunquam ſe eo onere eximi, nunquam ſuppleri per aliam patiebatur: quo fiebat, ut, ne Reginam ad id noctis deſtituerent, & ſereniſſimi etiam Filii, & Nurus Regia, hodie Luſitaniæ Regina, in ſancti operis ſocietatem coirent, nec ſine amplo comitatu, ac famulitio, eam noctis partem in adoranda Divina Hoſtia exigerent. Ad diurnam illam horam,

quæ ſorte illi obtigerat, dies fere tota a Regina adjiciebatur: neque enim illi aut labor, aut moleſtia videbatur, proſtratam in genua plures horas in adorando Numine perſtare; ſed quam diu abeſſe per alias occupationes a Templo cogeretur, capere quietis partem nullam poterat, dum ad aſpectum, & velut complexum deſideratiſſimi ſibi Numinis rediret. Ea cauſa fuit, cur ad alia quoque Templa, in quibus quadraginta horarum preces diu, noctuque continuabantur, identidem accederet, & nunc ſacrificiis, nunc veſperis, ac Litaniis, eodem, quo ſemper, tenerrimæ pietatis, ac profundiſſimæ humilitatis ſenſu intereſſet. Nec alia potior fuit ratio, cur celeberrimum Nobilium Virginum, ac Canonicarum Conventum, cui ab *Incarnatione* nomen, ſingulari ante

te

te alios ſtudio, ac benevolentia dignaretur, ac quod ſacræ hæ Virgines Diviniſſimo huic Sacramento ſingulari ſe religione devoverent, in certas leges ſe obſtringerent, & Ancillas Chriſti, ac mancipia ſe profiterentur. Tam ſancti enim inſtituti Reginam tantus amor cepit, ut quo iis meritorum ſe quadam communione jungeret, iisdem ſe legibus devinciret, & annuorum penſione aureorum, ſacras earum impenſas adjuvaret.

Hæc foris, quoties ſe temporis opportunitas offerret; domi, cum poſſet, quotidianum illi, ſacellum Eccleſiæ identidem viſere, coram auguſtiſſimo Chriſti ſanctuario ſupplicem ſe abjicere, & ſe, Domum Regiam, Regnumque ardentiſſimis precibus commendare. Sancta ea conſuetudo tantum in Regina potuit, ut nec peregre profecta, ſubire,

ire prius hoſpitium vellet, quam aut Templum ejus loci, aut ſacram ædiculam, ſalutandi ſanctiſſimi Sacramenti cauſa, religioſe inviſiſſet. Viduæ jam, & Regni curis perfunctæ magno ſolatio id erat, quod Templo vicina conclavia incoleret, majoremque opportunitatem nacta eſſet, ſanctiſſimam Euchariſtiam ex propinquo adorandi: ſed cum dies pietati ejus non ſufficeret, noctu etiam, antequam cubitum concederet, adorato in adjuncto Templi ſacrario Chriſto Deo ſuo, diem illi, noctemque conſecrabat, irreligioſum rata, non etiam noctem, ac quidem inde auſpicari, unde primas diei vigilias eſſet exorſa.

(o)

CA-

CAPUT XIII.

Cultus ceterorum Christi Mysteriorum, & sanctorum cælitum, ac in defunctos suffragia.

Non ita tota in colendo sanctissimo Altaris Mysterio erat, quin pro solenniorum dierum opportunitate, religiosa sua in Christum studia novis identidem, exquisitisque pietatis officiis declararet. Inter cetera vitæ Christi mysteria, quæ per annum, pro quotidianæ meditationis argumento, religiosissime expendebat, conceptum in utero Virginis Dei Filium, Natumque singulari cultus genere celebrabat. Et sacri quidem Adventus tempore, ad recolendam novem illorum, quibus idem Dei Filius in utero Virginis latebat, mensium memoriam, dies sibi novem ex omni numero selegit, quorum singulis pauperes tres mulie-

res ablutis prius mira ſubmiſſione pedibus, menſæ adhibuit, largaque ſtipe impertivit. Ad hunc modum cum ſe ad natalem Chriſti Infantis noctem dignius celebrandam, ex præſcripto Patris Franciotti in ſuo Itinere Bethlehemitico comparaſſet, ipſo ſanctæ Noctis pervigilio, matutinis laudibus cum choro perſolutis, tria ex ordine ſacrificia, ſacrumque ſolenne audivit, ſub quorum uno ſacræ menſæ Ipſa, & Reginam ſecuta Palatina omnis Nobilitas, ceteræque cubiculariæ accubuere. Interim privatæ pietatis non immemor, nati Divini Pueri ſimulacrum in ara cubiculi ſui proponi curavit, & accenſis undique luminibus, conſequenti octiduo quotidianas preces tam ſuavis myſterii conſideratione condivit. Pietati in Puſionem Divinum, aliam ad Divinam Matrem,

Pa-

Patremque Pueri Nutritium adjunxit, ipſoque Natali die ſanctiſſimo, ad recolendam ſacræ hujus Bethlehemiticæ Familiæ memoriam, virum, mulierem, puerum pauperes læto epulo excepit, & Regia ſubinde cum eleemoſyna domum dimiſit.

Patientis Domini memoriæ cum temporis plurimum, tum maxime quadrageſimam ſacram eſſe voluit. Nullum argumentum erat, de quo aut frequentius, aut libentius legeret, & audiret, quam Hiſtoria ſervatoris noſtri tanta noſtri cauſa paſſi. Hujus illa dolores, probra, injurias, necem inter acerbiſſimos cruciatus pro nobis obitam tam alte animo impreſſerat, nunquam ut ſine lachrymis de his cogitaret. Suaves tamen & iſtæ erant, quod in Chriſti meritis omnem fiduciam collocarit. Ea illi

illi caufa erat, cur moribunda præ ceteris fuggeri, atque etiam prælegi patientis Chrifti hiftoriam fibi vellet: quod non alio, quantumvis pio, cogitationum argumento fuavius teneretur, nec majorem in ullo fiduciam, quam in facris Chrifti vulneribus, morteque acerbiffima reperiret. Verni jejunii tempus omne, quo Ulyffipone præfertim publica vigent Religionis officia, huic pietati Regina fingulariter dicavit. Quæ in fum̃o, ac Patriarchali Templo functiones facræ, non vifenda facile alibi magnificentia obeuntur, iis, quoad poterat, intereffe Regina femper ftuduit. Nulla erat concio, qua non ipfa quoque dicenti quotidie ad confertum populum oratori facro aures præberet, piisque aliorum fufpiriis lachrymas mifceret fuas. Supplicationibus, quæ Ulyffipone, fingulis quadragefimæ hebdomadis

ma-

magna religione per urbem deducuntur, cum per gentis inſtituta intereſſe non liceret, quadam tamen ratione adfuit, ut quæ in Regia cum Comitatu ſuo Aulico, flexis ad Palatii feneſtras genibus, tam diu ſubſiſteret, dum longum ſupplicantium agmen oculis penitus ſe ſubduceret. Religionem hanc alia ſupplevit, ſextaque qualibet quadrageſimæ feria, quinis mulieribus pedes lavit, menſam appoſuit, & larga ſemper ſtipe donavit.

Præludium id quodammodo erat publici, quod in cœna Domini tredecim pauperibus fæminis, Chriſti exemplo, exhibitura erat, humilitatis officii. Earum delectio ex quadringentis fere, & pluribus fiebat, quas Parochi urbis, ſcripto egeſtatis ſimul, & probitatis teſtimonio, beneficio hoc digniores cenſebant. Ex his ducen-

tæ

tæ fere alia ſtipe a Regina donabantur: aliarum viginti, aut plurium a Regina deſignatarum nomina ad debitum numerum ſorte revocabantur, paucis commendantium voto permiſſis. Delectæ hæ feria quinta hebdomadæ majoris in Aula Regia ad ſtatutam horam convenire jubebantur. Abſolutis ea die in Templo maximo Divinis, in Palatio Reginæ Aula magnifice adornata erat, ubi cantato de more Evangelio, Regina cum ſereniſſima Filia primum, Catholica hodie Hiſpaniarum Regina, tum cum ſereniſſima Nuru ſua, nondum Luſitaniæ Regina, creſcentibusque ſereniſſimis Neptibus, aliisque primi Ordinis Palatinæ Nobilitatis Matronis ad abluendos tredecim illarum pauperum pedes ſe accinxit. Abjecta ad ſingularum pedes, ſuis illos mani-

ni-

nibus devote abluebat, & humili, pioque osculo demulcebat. Finito hoc ministerio, ad mensam ab iis deducebantur pauperes, magnifice instratam, & omnibus lautitiis refertam, novaque fercula subinde a Nobilissimis Matronis, & Serenissimis Adjutricibus subministrata, Regina iisdem apponebat. Sed eæ deliciarum ignaræ vix degustabant aliquid, sed ministerio palatinarum Herularum in præparatos ad eum finem corbes mittebant cum patinis fercula, quæstuoso multorum aureorum pretio divendenda. Bellariis florum fasciculos, escis pannos in vestes concinnandos, aurumque Regina pro sua liberalitate adjiciebat, ut non diurnum eis victum, sed plus quam menstruum elargita videatur.

Tam sancto in opere cum ad defatigationem usque laborasset

Re-

Regina, a meridie, nulla ſibi conceſſa requie, novo ſe, nec minus difficili labore attrivit. Obtinet mos ille pius Ulyſſipone, ut ſanctiſſimum Altaris Sacramentum, ad recolendam primæ ejus inſtitutionis memoriam, concurrenti populo ea die diverſis in Templis, publice adorandum proponatur. Regina, quamvis matutinum tempus omne in adoratione tanti myſterii exegiſſet, quamvis feſſa a laborioſo pauperum miniſterio, vires tamen novas ſufficiente, quo flagrabat, pietatis ardore, mox iterum in viam ſe dedit, pedesque cum Regio comitatu magnam Urbis partem obivit, & Divinæ hoſtiæ, quæ aliis, ac aliis in Templis adoranda proſtabat, religionis id officium ea pietate exhibuit, quæ omnium animos ad habendum tanto myſterio honorem inflammare potuit.

Sancti

Sancti Spiritus adventum (ut hunc a Christi, a quo missus est, mysteriis non sejungamus) quanquam in Patriarchali Æde maxima, quadraginta horarum continuatis precibus, religiosissime quotannis celebrarit; brevior illi tamen, & contractior ea religio videbatur, quam ut pietati suæ in Divinum Spiritum satisfaceret. Itaque cum alias quotidie ejus opem, ac consilium ardentissime imploraret, novem sibi nunc dies seposuit, quos ad aram Regii conclavis sui cum familiaribus herulis suis, in cultu, & adoratione Divini Spiritus, quotidiano certarum precum, ac hymnorum penso, religiosius exigeret, & totos ejus honoribus consecraret.

Post Deum, ut par erat, proximum amoris, & honoris studium beatissimæ Dei Matri impendebat.

Hujus ſibi potentiſſimum patrocinium cum in aliis, tum maxime in mortis articulo, quotidianis precibus ardenter efflagitabat. Hoc fine profeſtos omnes ejus honori dies jejuna exigebat: hoc fine ſingulis Sabbatis, cum poſſet, ad Eccleſiam B. Mariæ Virginis, *de Neceſſitatibus* dictæ, cujus digito etiam a morte Regis nuptialem annulum ſuum, gemma magni pretii inſignem, teſtem perpetuæ ſuæ in Virginem Matrem fiduciæ, inſeri juſſerat, matutinis, aut pomeridianis horis ſe conferebat, ut ſibi beatum ex hac vita tranſitum exoraret. Nulla erat Mariana Sodalitas, in quam nomen ſuum non dediſſet, ut multorum ſuffragiis, meritisque ipſius preces apud cōmunem omnium Matrem eo efficaciores redderentur. Sed quod Dei Parenti nihil gratius eſſe ſciret, quam earum virtutum imitationem aliquam, quarum

rum

rum tot exempla præbuiſſet, princeps Reginæ in eo erat ſtudium, ut feſtos quosque Divinæ Matris dies iis virtutibus inſignes redderet, quarum exempla iis maxime diebus ad imitandum proponerentur. Ea porro ex libellis piis de hoc argumento ſcriptis didicerat, & aſſiduo meditandi uſu ita ſibi impreſſerat, ut ad exemplum illius, nunc in Chriſtiana humilitate, nunc in charitatis obſequiis, nunc in comparatione animi ad adverſa omnia fortiter toleranda, nunc in laudando, & amando Deo frequentius, & ferventius ſeſe exerceret. Feriam tamen ſextam Quadrageſimæ, qua dolorum Beatiſſimæ Matris memoria celebratur, ſingulari tenerrimæ pietatis ſtudio peragebat. Eam diem, quod feſta in Eccleſia non eſſet, feſtam tamen ſibi, ſuisque quodammodo voluit.

ſtabat ad ſummum, ac Patriarchale Templum, ibique ante aram Doloroſæ Matris expoſito adorationi ſanctiſſimi Altaris Sacramento, ſacrorum perpetuam ſeriem horis matutinis dici, veſpertinis Litanias cantari, & expoſitis pro concione Divinæ Matris doloribus, excitari ad condolendum ſanctiſſimæ Virgini confertam multitudinem ære ſuo juſſit. Sed omni dictione efficacius id perſuadebat Reginæ aſpectus, quæ in pia ejus dolorum contemplatione mœrorem animi ipſo vultu, oculisque madentibus præferebat.

Cum Regina Sanctorum, ſanctos ipſos impenſe colebat. Præter eos, quorum memoriam Eccleſia univerſa ſtatis diebus celebrat, unum ſibi per menſes ſingulos peculiari cultu, ac venerationε proſequendum ſortitione menſtrua

ſtrua delegit: quem morem pium in omnes, quas in obſequiis ſuis numerabat, familiares, ac domeſticas derivavit. Pridie Calendarum cujusque menſis ſanctorum nomina, qui ſequenti menſe occurrerent, a Societatis JEſu Sacerdote Gynæcei Regii confeſſario legebantur, & ſortito in præſentes diſtribuebantur, ut haberent ſingulæ, quos eo menſe peculiariter colerent, & quorum patrocinio ſingulariter gauderent.

Inter alios, qui vel in urbe, vel orbe reliquo coluntur, ſanctos, quosdam tamen præcipuo cultu venerata eſt. In his erant S. Anna, Chriſti avia, a qua nomen ſacro in fonte ſuſceperat. S. Joannes Nepomucenus, S. Antonius Patavinus alias, ſed Ulyſſiponenſis ortu, SS. Ignatius, & Franciſcus Xaverius, quorum ſingulos continua-

ta in nonum diem devoti animi ſui pietate, demereri ſibi ſingulariter ſtudebat. S. Ignatii meritis Regii puerperii felices exitus præter alia tribuebat: cui ut gratiam referret ampliorem, dicata ejus honoribus die, ad Eccleſiam Domus Profeſſorum Societatis JEſu, a S. Rocho dictam quot annis ſe contulit, & auditis pro concione ſancti hujus laudibus, ſacroque auguſtiori ritu celebrato, menſæ Divinæ toto cum Regio comitatu accubuit. S. Franciſco Xaverio, ut qui Ulyſſiponem, Luſitaniam, ac Indiam ſanctis prius exemplis, tum etiam ſignis, ac beneficiis cæleſtibus mire illuſtravit, crebrior, nec unius modi cultus impendebatur. Præter tertium enim Decembris diem, qui natalis ſancto, eodem, quo S. Ignatii, ritu celebratum, novem continenter dies a tertia ad

duo-

duodecimam Martii, qua is Sanctorum numero cum ſancto Ignatio eſt adſcriptus, ejus honoribus impendit, quavis die a meridie cum comitatu Regio ad ſancti Rochi Litaniis aſſiſtendo, & S. Gregorii feſto publicam ſynaxim ibidem ſolennitate conſueta ſuſcipiendo. Alios ſubinde, pro numero annorum, quo ſanctus hic Indiarum Apoſtolus Evangelico in opere per Indiam, ac Japoniam deſudavit, decem dies veneris ſanctiſſimorum myſteriorum uſu, & multis ad Deum, & Patronum ſuum Xaverium precibus exegit. Id cum Regio fere in ſacello fieret, ſereniſſimos Liberos, ac totius Aulæ frequentiam in ſancti operis ſocietatem traxit: & veſpere ex his quolibet, Litaniis de eodem ſancto cum iis religioſe interfuit: prima tamen, media, & ultima ex decem il-

lis feriis ſextis die, Regio cum comitatu in Eccleſiam aliquam Societatis Jeſu, Auguſtæ videlicet Matris exemplo, proceſſit, ibique Divinis magnificentius celebratis, pietati ſuæ liberalius indulſit.

Hoc erat Reginæ in ſanctos cælites ſtudium, hæc pia induſtria uberiores a Deo gratias, benigno eorum interventu impetrandi. Sed ut Beatorum honoribus devota, ita pia in defunctorum animas ſemper extitit. Has ut celerius cælo aſſereret, pœnisque, quæ pro culparum merito luendæ adhuc ſupererant, eriperet, ſacrificiis, eleemoſynis, ſanctisque omnis generis operibus elaborandum ſibi omni ope putabat. Mire exultabat, cum facultatem nuper a Romano Pontifice datam ſacerdotibus per Luſitaniam, & provincias eidem ſubjectas audiret, die, qua de-

defunctorum memoria in universa Ecclesia peragitur, trina una die sacrificia pro eorundem subsidio celebrandi: atque, ut suum quoque juvandi pias has animas augeret studium, non modo illa die, sed toto octiduo, plura quotidie sacra, & legi curavit, & audivit. Sacrificiis quotidianum etiam precum pensum, adscitis in suffragiorum communionem cubiculariis Aulæ suæ Matronis, ac Virginibus, vespertinis horis addidit, quas in modum corollæ Marianæ repetito identidem Psalmo CXXIX. & Psalmo quinquagesimo idoneis locis interposito, non pie minus, quam industrie concinnavit. Hæc pro piis defunctorum manibus universim: at pro Rege, quondam conjuge suo, sacra quotidie septena, sexta autem qualibet feria, in quam dies obitus ejus inciderat, quaterna su-

pra vicena fieri curavit. Idem pietatis officium, eodemque numero, Augustissimis Parentibus, ac Fratribus, & serenissimis Sororibus, cum in natali singulorum, tum in anniversaria die obitus impendit, illustri utique documento, qua pietate, ac charitate, quos viventes semper coluerat, etiam defunctos prosequeretur.

CAPUT XIV.

Pia Reginæ cum Religiosis utriusque sexus conversatio.

Ut rebus sacris impense addicta erat Regina pia, ita singulari etiam benevolentia sacrum utriusque sexus ordinem complectebatur. Nulla solennior religione dies erat, nulla illustriorum sanctorum memoria, quam non Regia præsentia illustraret sua, & concurrente ad tam nobile Regiæ pie-

pietatis exemplum populo, celebriorem redderet. Id cum ſanctis daret religionis officium, tamen & ipſorum ordinum ſanctitati impenſum volebat, quos ex animo & diligebat, & colebat. Reſpiciebat ſanctos eorum fines, ac inſtituta, & in filiis ſanctos eorum Parentes venerabatur. Reputabat ſecum, quas utilitates ſanctæ Eccleſiæ omni tempore attulerint Religioſæ Congregationes, quantumque ex iis commodi in utramque rempublicam dimanarit. Norat ſingulorum Ordinum de Religione merita, & quibus potiſſimum in rebus aliis eminerent. Non conſiderabat, in quo pauci deficerent; ſed in quo plurimi ad perfectiorem vitam exemplo eſſent. Suum de illis ex Eccleſiæ judicio formabat, quæ Religioſos Ordines ſemper ut Evangelicæ formam vitæ,
&

& ſanctæ fidei, ac Chriſtianæ pietatis præſidia reſpicit; certumque habebat, ſeu ad proferendum in ultimos orbis fines, ſeu ad conſervandam in Regno ſuo puram, ſinceramque religionem, nihil eorum opera promptius, efficaciusque reperiri.

Hæc cum alte animo impreſſa haberet, planeque conſideret, ab eorundem ſermonibus, & exemplis meliorem ſemper ſe rediturам; libenter ſe in eorundem conſuetudinem dedit, nec ipſos modo clementer ad ſe admiſit, ſed luſtratis eorum Domibus, hortis, ac Monaſteriis, ſingulari plane benignitate, ſermonem cum iis familiariter ſociavit. Nulla fere erat ſeu Clericorum Regularium, ſeu Monachorum Congregatio, quæ Regia hac benignitate non ſemel, ac ſæpius gaviſa eſſet, quod nulla

erat

erat,quam non peculiaribus nominibus ob præclara eorum merita dilexiſſet. Argumentum ſermonum non quodlibet, ſed pium fere & religioſum erat, ut ne ipſa quidem animi remiſſio ſine merito, & fructu eſſet. Rogabat, quas partes inſtituti ſui præcipuas ducerent, quibusque viis, ac modis eo eniterentur: quænam artes ad lucra animarum felicius iis cederent, quibus induſtriis populi pietatem alerent, quibus præſidiis ordinis ſui conſervationem, ac progreſſum deberent. Laudabat interdum defunctorum quorundam, quos noverat, eximiam probitatem, ac doctrinam publicos in uſus utiliter derivatam, atque ut multos eorum ſimiles Luſitaniæ darent, ſuaviter optabat, & provocabat. Si quos in Indiam, aut Braſiliam ad earum gentium converſionem mittendos

au-

audiret, his & ſtimulos addebat, & ad multa pro Chriſto & agenda, & ferenda animabat. Familiari hoc congreſſu, mirum eſt, quantum animos ſibi omnium devinxerit, & ad decurrendum ulterius ſancti ſui propoſiti ſtadium incitarit.

Sed multo frequentius Religioſarum Virginum cænobia, quorum Ulyſſipone, & in vicinia ingens eſt numerus, inviſebat. Dabat fiduciam iis nota Reginæ clementia, & quod ſe unam quaſi de iis ferebat, & quamdiu cum illis erat, pene gerebat, ut ultro etiam invitare eam ad ſe auderent. Et ibat illa tam prompte, & alacriter, ut ex vultu ipſo, & oculis ſatis appareret, nihil earum ſancta conſuetudine jucundius ſibi poſſe accidere. Quid ſpectaret in his congreſſibus, agnoſci ex ipſo cœnobii aditu ſtatim poterat; ſimul enim

ac

ac Monaſterium attigit, recta vel ad Templum ad adorandum ſuo more Auguſtiſſimum Altaris Sacramentum, vel ad Odæum Virginum, ut Marianis intereſſet concinendis laudibus, tetendit. Inde inter prima ſalutationum officia, ſo rectene valerent ſorores omnes, ſolicite rogabat: ſi ægrotantem aliquam, aut gravius decumbentem intelligeret, ad eam ſe primo contulit, & ſuaviſſimis ſolata verbis, de febris acceſſu, vel receſſu, de morbi remediis, vel moleſtiis percontabatur; ſi quid deeſſet, de ſuo promittebat: commendabat ſororibus ſolertem de ea curam, mercedem Divinam pollicita, ſi de charitatis officiis nihil omiſiſſent. Si exigua in ſpe ægrotantium vita eſſet, ad occurrendum alacriter Chriſto ſponſo ſuo animabat: negabat luctuoſum videri poſſe vitæ

præ-

præſentis exitum, qui futuræ beatioris eſſet initium: gratulabatur ætatem omnem, quod præterquam Religioſis, paucis contingeret, in ſumma vitæ innocentia, & Dei ſervitio exactam; & quam de bono ſtatus Religioſi eximiam alebat opinionem, non dubitabat a cella ad cælum breviſſimum eſſe tranſitum.

Perfuncta hoc Chriſtianæ charitatis officio, tum primum ceteris ſe Virginibus reddidit. Has nunc ſingulatim, nunc communiter tam familiariter ad colloquium adhibuit, ut ne quid reverentia conſiliis officeret ſuis, ipſam quodammodo majeſtatem ſubmiſiſſe videretur. Appellabat ſuis ſingulas nominibus, & explicata ad ſummam benignitatem fronte, parem ab iis candorem eliciebat. Colloquendi argumentum nunc de privato ſingularum, nunc de communi

omnium

omnium ſtatu erat: ſed quod fructum potiſſimum ex religioſis earum ſermonibus, & exemplis derivari in ſe cuperet, quærebat frequenter de piis, quibus majori ſuo ſolatio uterentur, libris, de orandi, meditandique methodo, de pietatis adminiculis, quæ ad ſanctius, efficaciusque ſumenda Eccleſiæ Sacramenta adhiberent. Agebat de colligendo inter externas occupationes ſpiritu, & raptim ad æterna ſuſtollendo: de optimo precandi genere: de modo quotidie ſæpius in ſe deſcendendi, & quidquid vitioſarum eſt animi perturbationum, efficacius comprimendi. Quæ ſingula, & ejus generis plura, quanquam magiſtra in his optima ſibi ipſa eſſe poſſet, modeſte tamen ex illis diſcere cupiebat, quod & uſu multo, & doctore, cujus ſponſæ eſſent, Deo, rerum cæleſtium peri-

ritissimas esse crederet. Prædicabat non nunquam earum felicitatem, quæ ab ineunte ætate in cænobiis educatæ, nescissent potius sæculum, quam effugissent; quæ victimas Deo suo non tantum de rebus suis, sed se ipsas in holocaustum totas indissolubili votorum Sacramento obtulissent: nec dubitabat dicere, sancta se quadam æmulatione tangi, & si juris fuisset sui, non aliam se vitæ conditionem propensiori animo amplexuram fuisse. Monebat interim, hortabaturque interdum, ut hac a Deo sibi collata præ aliis gratia fideliter uterentur, & quam nomine præseferrent sanctimoniam, post visa præsertim, auditaque tot virtutum exempla, rebus ipsis confirmarent. In discessu vero suo majorem in modum iis commendabat, ut quas facerent preces, eas im-

imprimis pro Domo Regia, pro publicis Regni neceſſitatibus, pro vivis, defunctis, quorum beneficentiam expertæ eſſent, offerrent. Inter tot Virginum cænobia, illa tamen frequentius adibat, quæ auſterioris vitæ ſpecie eminere inter alia videbantur. Peculiari titulo accepta quoque erant, cænobium Excalceatarum Virginum in Monte Oliveti S. Auguſtini Regulam profeſſum; Carmelitarum itidem Excalceatarum dos cardaes, & S. Franciſci a Matre Dei dictum, quæ ibi cæleſtium beneficiorum cauſa, magno peregrinantium concurſu colitur: utpote quibus eum ſingulariter honorem habuit, ut menſam ſacris his Virginibus, impenſis Regiis inſtrueret, & in earum cænaculo ipſa diſcumbere non gravaretur.

CAPUT XV.

Fundatio Carmelitarum Germanicæ nationis Ulyssipone, & piæ Largitiones aliæ.

Ulyssiponem primo Regni aditu advecta, cum urbis statum penitius inspexisset, vidissetque gentibus omnibus Regio hoc in emporio commorantibus, suæ nationis sacerdotes, e sacris fere sanctorum Dominici, ac Francisci familiis, esse, qui ad sacra ministeria vernacula lingua iis præsto essent, & in vita, ac morte spiritualibus subsidiis juvarent; Germanicam solum nationem, quæ tamen sub Alphonso I. Rege, classe e coloniensi portu deducta, urbem ipsam Anno MCXLVII. pulsis ducentis Maurorum millibus, vigesima prima Octobris, festo SS. Ursulæ, & Sociarum Martyrum, vel

vel vigèsimà quinta ejusdem mensis, sanctorum Martyrum Crispini, & Crispiniani, ut hodie Ulyssipo celebrat, die occupavit, & jam tum, volente Rege, ibi sedem fixit, plurimisque privilegiis, quæ hodiedum vigent, donata est, hoc tam utili, imo necessario carere subsidio, indoluit vehementer Regina, atque ut erat alienæ salutis sitientissima, jam tum consilia secum iniit, Joannis V. Regis, ac Conjugis sui consensu, Religiosos quosdam e germania sacerdotes, qui nationem suam in Lusitania degentem sacris procurarent, Ulyssiponem evocandi. Commodum eam in rem Excalceati de Carmelo Patres suam ad hoc operam Reginæ obtulere: quos cum in Austria adhuc, pro eximia eorum virtute, ac doctrina, & industria præsertim in aliorum salutem seduli-

 tate,

tate, magno ſemper in pretio habuiſſet, ante alios ſuis conſiliis opportuniores cenſuit, & ex Auſtriaca nominatim Provincia, accerſendos conſtituit. Sed ne quid diſſidii inter alios ejusdem inſtituti Sodales propterea enaſceretur, vel adverſus pacta ageretur, quæ ejusdem Sacri Ordinis Congregationes, Hiſpanica videlicet, ac Italica, inter ſe inierant, ne poſt diviſionem ſuam altera inter alterius limites Conventum erigeret; utriusque ad hoc conſenſus ab harum Congregationum Præſidibus prius impetratus eſt; & ſanctæ memoriæ Clementis XI. Pontificis authoritate conſtitutum, ut Patres Auſtriaci ſedem Ulyſſipone fixuri Congregationis tantum Italicæ moderatoribus ſubeſſent, & exempti a jurisdictione Ordinarii, Apoſtolicæ ſolum ſedis per Luſitaniam Legato ſubjicerentur. Sed

Sed quanquam ſancto Reginæ deſiderio mos continuo geſtus eſt, pluresque e Germania acciti Patres ſacris ſuis inter nationis ſuæ homines laboribus initium dedere; hæſit tamen eatenus cœptum Conventus negotium, nec opportunus habitationi locus, nec Ædes ſacra ad Divina officia ſatis idonea eſt reperta, donec Ferdinandus Maria a S. Antonio ejusdem Ordinis e Provincia Auſtriaca Miſſionarius, ex India, ubi Apoſtolico in opere deſudabat, a Regina revocatus, anceps negotium expedivit. Is vir, quo erat conſilio, ac prudentia, eo rem brevi ſua induſtria perduxit, ut & coemptæ a Regina domus in Eccleſiam, & Hoſpitium (ſic enim ſedes ſuas vocant, nondum cœnobii jura adeptas) verterentur, & abſoluto utroque ædificio, nitideque, ac

religiose instructo, nova Ordinis Colonia, quæ Sacerdotibus sex, tribus familiaribus rei curatoribus constaret, ex Austria deduci, & ad perpetuitatem temporis stabiliri posset. Ea res tanta lætitia Reginam affecit, ut agendis solerti Patris Ferdinandi studio gratiis imparem se fateretur; nullumque finem faceret, quoties aut Ecclesiam novam, aut Patrum Hospitium inviseret, gaudium hoc suum, & gratum in illum animum contestandi. Nec intra verba stetisse hoc in virum, de Deo, Regina, ac natione Germanica in Lusitania optime meritum, officium, illud argumento est, quod cum is post deductos Ulyssiponem necessarios Patres, Reginæ permissu, & superiorum suorum facultate, iter in Styriam suscepisset, ut octogenarium suum Græcii patrem supremum

mum

mum salutaret; sed Barcinone, gravi oppressus invaletudine ad superos abiisset, defuncti corpus Ulyssiponem revehi, & in Templo a se constructo, sepeliri summo cum honore jusserit.

Templum porro hoc suis impensis erectum, S. Joanni Nepomuceno Martyri, quod iter is sibi per Oceanum securum, tranquillumque præstitisset, & S. Annæ, Matri Genitricis Dei, quam & ipsa Nominis sui, & Carmelitanæ Familiæ Ordinis Patronam coleret, sacrum esse voluit Regina; idque non modo sacerdotalium vestium pretioso ornatu, sed Reliquiis etiam sanctorum, & sacra omnis generis suppellectili affatim instruxit. Ac ne dos deesset, partem mediam Beneficii Regii S. Mariæ de Päul de Trava dicti, annuo mille, & amplius florenorum pro-

ventu divitis, de Regis, & Pontificis aſſenſu, in perpetuum attribuit. Alium Patribus cenſum annuum, unde neceſſarios in victum, veſtitum, viaticum, ac medicinam ſumptus facerent, Regina de ſuo conſtituit, quem & ultima voluntate auctiorem reddidit, & literis Fundationis vigeſima ſexta Julii, die Nominis ſui Anno MDCCLII. datis, confirmavit. Has cum præſente Aula ſua in manus Patrum conſignaret, gravem ſimul, accuratamque ad eos Orationem habuit, finemque, ac munus, ad quod vocati eſſent, ſancto quodam ardore commendavit. Ac meminiſſe quidem eos volebat, hoc ſe conſilio, hoc fine ex ultima Germania in Luſitaniam evocatos, hac mente in urbe hac Regia domilicium, ac ſedem fixiſſe, & cum annuis Regiæ donationis fructibus hanc vel-

ut

ut dotem accepisse, ut præter impletas religiose sacri sui instituti partes omnes, totos se procurandæ, qui Ulyssipone essent, aut accederent, Germanorum saluti impenderent; neque muneris sui partibus satisfacturos se arbitrentur, nisi ad instituti sui rationes hanc etiam religiosi officii partem adjungerent, quæ in spirituale commodum Germanicæ ea in urbe nationis tota excubaret. Muneris proinde sui esse scirent, lingua patria ad suæ nationis homines pro concione dicere, liberis illorum rudimenta Christianæ fidei, morumque tradere, adultos ad Christiani hominis officia cohortari, pœnitentibus aures præbere, moribundis assistere, neque detentos in carcere, vel in valetudinario depositos, spirituali solatio, ac subsidio destituere: si quos a fide Ca-

Catholica alienos nossent, ex errore in viam revocare, & ad Ecclesiæ communionem aggregare: nullum denique, qui Germanici sit ea in urbe nominis, alienum a cura sua, & sacris obsequiis arbitrari. Hæc Reginæ, de nationis suæ spirituali commodo solicitæ mens erat, hoc consilium: cui cum Religiosissimi Patres isti per omnia responderent, & nunc sacris concionibus adultos excolerent, nunc fidei, morumque præceptionibus, rudem pueritiam informarent, ministrarent Sacramenta valentibus, periclitantibus de vita, diu, noctuque præsto essent; quam plurimos etiam ab avitis erroribus, ad fidem orthodoxam traducerent, & quos aliena miseratione dignos comperissent, implorata Reginæ, aliorumque ope, suis e miseriis recreassent; dici vix potest, quanto læ-

lætitiæ ſenſu pii hos conſilii ſui fructus acciperet, quantum ſibi de tam navis voluntatis ſuæ adminiſtris gratularetur.

Diverſo paulum conſilio, ſed fine non minus ſancto, S. Dominici Religioſos Sodales illos juvandos ſibi putabat, qui Sacellum B. Mariæ Virginis, in Monte Ulyſſiponi proximo, a primis a S. Dominico eo miſſis Patribus olim erectum, & Dei Parentis ſtatua hodiedum viſendum, inſtaurare aggreſſi, primævum etiam Ordinis rigorem renovarunt. Probavit tam ſanctum Conſilium Regina, atque ut S. Dominici memoriam eo loco clariorem redderet, & ex ejus inſtituto novas Regno utilitates afferret, Patrum horum cauſam toto pectore ſuſcepit. Ac primo quidem alteram partem Beneficii S. Mariæ de Päul de Travaiis aſſignavit,

vit, tum aliis, aliisque minutis largitionibus juvit: formam denique Conventus novi, eo in monte instituendi cum Religiosissimis his Patribus contulit, in quo juniores ejus Ordinis Sodales literis darent operam; seniores vero, partitis inter se vicibus, in publicum prodirent, & sacris pro more suo Missionibus Lusitaniam excolerent. Sed enim tam sancti operis fundamenta tantum jacta sunt, Reginæ obitu postea interrupta. Spes tamen non dubia relicta est, Consilii tam salutaris, aliorum pia munificentia ad exitum perducendi.

Societas Virginum S. Ursulæ, quæ toto orbe celebris, & institutione sua teneriori ætati sequioris sexus impensa, luculenta urbibus affert commoda, Reginæ semper cordi fuit: optabat illa sæpius,

pius,

pius, opes ſibi eas ad manum eſſe, quibus ejus inſtituti Sodales e Gallia, vel Germania evocare, & in condigno Regia urbe conventu collocare Ulyſſipone poſſet. Ejus nunc optatis momentum addidit Antonii de Macedo Velho, qui Regi a Conſiliis erat, ſuprema voluntas teſtamento firmata. Is quod Reginæ, tum adhuc Luſitaniæ Regnum ſumma cum poteſtate gubernanti, dudum promiſerat, ſupremæ poſtea voluntatis tabulis, bonorum ſuorum, ac facultatum liberam diſpoſitionem Reginæ permiſit. Cujus animo tam liberali delectata magnopere Regina, copias omnes, ac facultates ejus, demptis fructibus ſanguine junctis dandis, mox ab ejus obitu in religioſum Urſulinarum Virginum Conventum, conferendas ſtatuit, ſimulque quadraginta

flo-

florenorum millia ex ſuo adjicienda teſtamento curavit, ut Conventus is Virginum, bono publico tam ſalutaris, primo quoque tempore erigeretur. Nec dubium eſſe poteſt, Fideliſſimum Regem, qui Sereniſſimæ Matris nutus omnes pro imperio habere ſolebat, auctoritate Regia effecturum, ut res tam pie deſtinata, tam utilis publico, ex ſententia conficiatur.

Largitiones alias, quas in cauſas pias, in ſtata per annum intra, & extra Luſitaniam ſacrificia, in varia ſodalitia, in tenuiores Eccleſias expendit Regina, ſi pluribus recenſerem, modum excedam: taceri tamen non debent, quas ad SS. Joannis Nepomuceni, & Franciſci Xaverii honorem, grati animi cauſa impenſas fecit. Ac ſancto quidem Nepomuceno Martyri, præter Templum novum ſub ejus

ejus nomine Deo dicatam, in ponte lapideo de Alcantara, qui ad urbem ducit, ſtatuam bene altam e marmore erexit, ſeu terra, ſeu Tago flumine ad urbem tendentibus magnifico opere viſendam. Quam quod voti cauſa ob felicem terra, marique, hujus ſancti beneficio, itineris ex Germania in Luſitaniam decurſum, a Regina poſitam eſſe ſciret Joannes V. Rex Luſitaniæ, ut Conjugis ſuæ pietatem ſuam quoque faceret, cratibus ferreis magnifici operis, & viginti quatuor millium florenorum pretio æſtimatis, circumdari juſſit. Dedicata ſolenni pompa eſt, præſente cum Regio comitatu Regina ipſa, quæ & perpetuum ibi lumen, aſſignato cenſu annuo, ardere ad honorem ſancti voluit, ſtatuamque ipſam Carmelitis Patribus e Germania deductis tradi-

dit, & quidquid a pio populo, quod fieri solet, offerretur, eorum usibus juxta morem transcripsit.

S. Francisci Xaverii honoribus, cui præter alia plurima, quæ ejus potenti apud Deum interventu, meritisque accepisset, beneficia, Sobolem imprimis Regiam se debere profitebatur, sacellum, quod ex ejus nomine Xaverianum appellamus, in Templo Tirocinii Societatis Jesu ad Cotoviam dicto, perfecit, ornavit, & instruxit. Manum quidem prior operi admoverat serenissima quondam Lusitaniæ Regina, Maria Francisca de Sabaudia, & eleganti marmore totum fere sacellum convestivit: sed imperfecto adhuc operi coronidem imposuit Maria Anna Austriaca, & sancto Indiarum Apostolo magnificentissime instructum nuncupavit. Et aræ quidem mar-

marmoream S. Patroni ſui ſtatuam impoſuit, & utrumque ſacelli latus ejusdem molis, & materiæ ſtatuis SS. Ignatii, ac Joannis Nepomuceni Martyris exornavit. Inſtrumentum altaris omne ex argento, eodem ex metallo Chriſti e Cruce pendentis ſimulacrum, & lampas noctu, diuque ante eam arſura: veſtes ſacerdotales arte, & materia pretioſæ, ſupellex reliqua, quæ Reginam facile beneficii authorem pronuntiat. Sacello huic honorem Regina tantum ſemper habuit, ut Eccleſiam eam nunquam adiret, quin in ſacellum quodammodo diverteret, & gratam beneficiorum, quæ ſancto Patrono huic ſuo in acceptis referebat, memoriam longa ante ejus ſtatuam precatione teſtaretur. Atque ut ultra vitam etiam, pietatem in illum ſuam extenderet, elocata ad cen-

dias, ad Sinas uſque, & ultimos hominum Japones promoviſſe: noverat etiam, quidquid in Africæ littoribus, in interjectis inter eam, & Aſiam Inſulis, in ipſa adeo Braſilia pro majore Dei gloria, & Chriſtiani nominis incremento, pie, ſanctеque geſtum, id Apoſtolicorum virorum, qui ampliſſimum laboris campum alacritate ſumma ingreſſi ſunt, opera, ac ſacris, quas vocant, miſſionibus confectum. Unde parem ſibi induendum animum, & preſſis ſuperiorum Regum veſtigiis, Miſſionariorum ſanctis laboribus, omni ſtudio, ac ope conſulendum, jam inde a primo Regni ſui aditu, firmiſſime decrevit. Neque vero ab hac mente unquam deflexit, ſed eorum cauſa omnia ſic egit, ut Chriſtianæ Religionis negotium inter tot barbaras nationes, ſeu tuendæ, ſeu pro-

pagandæ, sibi proprium fecisse videretur. Nihil illi jucundius literis, quæ de progressu Evangelii, de Apostolicis conatibus, de novis ad Christi fidem accessionibus, ex India, vel Brasilia afferebantur: has enim iterum, iterumque legere, has cum suis communicare, & thesauri instar suo in scrinio servare solebat. Si quæ novæ Apostolici operis suppetiæ ex Lusitania, Italia, Germania (id quod annis fere singulis contingebat) in Indiam destinatæ, Ulyssiponem venirent, tanto illos studio, tanta benignitate complectebatur, ut majore non posset. Vocabat nunc omnes, nunc singulos; quosdam etiam ad præclariora quædam, & magis ardua pro Christo, aut agenda, aut ferenda destinatos, semel ac iterum: ac ut gentium, ad quas ituri erant, in-

do-

dolem, mores, instituta, longo rerum in Regno tam diuturno usu perspectissima habebat, ita de singulis eos accuratissime edocebat. Monebat, ad graves labores, & sæpe irritos ituros; sed firmarent animos, sibique certissime persuaderent, si etiam sobolis nihil, per barbarorum contumaciam, Ecclesiæ conquirerent, dignum se tamen itineribus, laboribusque tantis operæ pretium facturos, si vel veteres Christianos in fide, & disciplina Ecclesiæ continerent. Proponebat ærumnas, & incommoda, quæ subituri essent, si etiam prospere evenirent omnia, quorum causa tam periculosa itinera suscepissent: conflictandum fore cum rerum omnium inopia, cum æstu, fame, siti, inconditis barbarorum moribus, cum tristi solitudine, insueto cælo, cum morbis per-

egrinis : sæpe nec tectum, nisi quod palustribus ex cannis, aut arborum foliis suis sibi manibus construxissent; nec cibum, nisi ex herbis agrestibus, aut vilibus pisciculis habituros: nullam in morbis fore opem medicam, nullum ut a barbaris, vel obsequium, vel auxilium. Dolebat, etiam fraternam illam inter ipsos conjunctionem, interjecto terrarum, in quas dividendi essent, intervallo tanto, ad solatium defuturam: in hujus locum infidam barbarorum fidem, cruda ingenia, & atrocia, multorum odia, quorundam etiam invidentiam, & natas inde calumnias, & accusationes, non nunquam successuras. Nec dissimulabat, magnum rebus bene gerendis impedimentum, a quibus minime oporteret, objectum iri, qui nescio quæ Regni commoda ex paganis man-

mancipiis, aut neophytis etiam, promiſſa libertate ſpoliatis, ſibi ſomniarent verius, quam pollicerentur. Sed cum ad hæc, & his duriora, comparatos animo videret Miſſionarios, exultabat enim vero, & lætitia in vultum erumpente, ire jubebat, quo Deus, quo multorum ſalus, quo ſuus ipſe ardor evocaret: ſperarent a Deo vires, & gratiam, ac mercedem, quæ non minor ipſo Deo ſit, in ſpe, & oculis haberent; a ſe, quidquid authoritatis, gratiæ, præſidii, opis, & auxilii ſuis in viribus eſſet, liberaliter ſibi pollicerentur: nullo ſe loco, nullo tempore, ſanctis eorum conatibus defuturam: confidere ſe pro eo, quem in commune Religionis bonum conſpirantem afferret animum, partem etiam Apoſtolicorum meritorum ſe cum ipſis habituram.

Quam præsentibus benevolentiam verbis, hanc absentibus per literas, sua manu exaratas, sæpius exhibuit. Fuere, quibus infra Majestatem videretur, literas ad hos sua manu dare; sed Regina, quæ nescio quid majus in viris Apostolicis spectaret, quemadmodum meritorum, ita etiam literarum quandam communionem cum iis habere non dedignata est. Itaque nunquam naves Indiæ, nunquam Brasiliæ e portu solverant, quin plures ipsa epistolas nunc ad hos, nunc ad illos daret, & ne reverentia Majestatis timidiores redderet, ad rescribendum, quæ prospera Religioni, quæ adversa; quæ ipsismet læta, aut tristia accidissent, ultro provocaret. Laudabat, si quid insigne pro Dei gloria ab iis gestum ex aliis intellexisset, & ad urgenda præclara cœpta horta-

ba-

batur: monebat interdum, quæ cavenda essent, operam suam, omnemque Regiam ad Religionis commodum authoritatem promittebat: & quod dignatione maximum, Apostolicorum meritorum communionem quandam sibi ab ipsis flagitabat. Itaque rem FIDELISSIMÆ Reginæ ante agebat, quam novi id honoris nomen participatione quadam cum Rege FIDELISSIMO sortiretur.

Neque tamen solæ ad hos ibant literæ; destinabat ad singulos fere quot annis munera, sacra præsertim, quæ in Christianos suos, neophytos imprimis, dispertirent: mittebat telas lineas, magni, & necessarii pene inter neophytos, & ad conciliandos sibi paganos usus, & quidquid præsens rerum inopia, aut indigentia Missionariis necessarium faciebat. Accessere non nun-

nunquam majoris pretii largitiones piæ, quibus vel aras, vel ſacerdotum miniſteria ornabat; nec raro traductis in uſus ſacros Regiis veſtibus ſuis, ſplendorem ſacris noſtris, & majeſtatem Religioni apud defixos ſtupore barbaros conciliabat. Regiæ huic liberalitati fidem facile affirmabunt, quæ jam ſub Regni aditum, & deinde, Goam, & Pekinum munera, arte, materiaque pretioſa miſit. Ac Goam quidem ad ornandam S. Franciſci Xaverii, ſui ac Indiarum Patroni aram transmiſit, quidquid auro, argento, gemmis nobile, ad inſtruendum, ornandumque Regium conclave ſuum Vienna ſecum attulit, melioribus rata ſerviturum uſibus, ſi devotæ ſancto huic pietatis ſuæ, gratique pro acceptis ab eo beneficiis animi teſtimonium, per hæc publicum exhiberet.

beret. Pekini, Sinici Imperii Regia, ut ad Ecclesiam S. Josephi, sumptu Kam Hi Imperatoris a Societatis nostræ Patribus ibidem ædificatam, & Catholica libertate hodiedum gaudentem, symbolam conferret suam, & aras sibi ornandas Regina sumpsit, & pretiosi operis pannis, maximique ponderis fimbriis argenteis, sacram supellectilem auxit: atque ut vocale etiam religiosissimæ pietatis suæ monumentum in extremæ Asiæ urbe extaret Regia, Organum Musicum adjecit, ebore, argentoque cælato ad magnificentiam exornatum.

His tot beneficiis in Religionis commodum a Regina profectis, cogitatu facile est, quanto solatio perfunderentur Evangelici operarii, quam acribus incitarentur stimulis ad animarum lucra

ma-

majoribus animis persequenda. Cum vero annuas, pro Reginæ imperio, scriberent literas, & quid in opere Evangelico laborassent, quam novam animarum messem, quibus viis, modisque fecissent, quid impedimenti se objecerit piis ipsorum conatibus, quæ novæ difficultates, lætum antea Apostolicæ cursum operæ, sufflaminassent, ad Reginam referrent; causam jam suam agi rata, omnia & Actoris, & Patroni munia per se ipsa agebat. Appellabat nunc Ulyssiponensia Tribunalia, nunc Provinciarum Præsides, ac Pro-Reges; aliquando & aliarum nationum Consules, & Magistratus, & opem, ac præsidium laborantibus in vinea Domini operariis flagitabat, nunquam non optato operæ pretio, ut vel impedimenta de medio tollerentur, vel aperiretur aditus ad
la-

labores Evangelicos, longius, latiusque proferendos.

Ad memoriam insigne est, quod in novissima Ecclesiæ Sinicæ persecutione, firmandæ ibi, tuendæque Religionis Christianæ studium in se suscepit. Nota sunt gravissima Sinici Imperatoris adversus Christianæ Legis doctores edicta, Missionariis omnibus toto Imperio exesse jussis, & nisi parerent, carceri, mortique addictis. Quidam ex his jam Macaum in vinculis erant missi, alii gloriosa morte in Fidei odium enecti. Tam feralem Christianæ rei turbinem ut sedarent Lusitani in Sinis degentes, multa secum, multa cum Goano Pro-Rege, quo causæ illorum recta pertinent, consilia contulerunt. Nec Ulyssipone cessatum: consulti per literas Macaenses, & qui Pekinensi in Aula, rerum

rerum ſuarum adhuc ſecuri, vel per Imperium Sinenſe diſperſi clam latebant Miſſionarii, quis modus, quæ ratio videretur reliqua, infenſum Chriſtiano nomini Imperatorem æquiorem reddendi. Omnium idem, conſentiensque reſponſum erat, non tam Imperatoris eam eſſe culpam, quam Magiſtratuum Sinenſium, palam quiritantium, permiſſam aliquando promulgandi Evangelii libertatem, in perniciem gentis vergere; ſic, ut eos etiam, qui usquam in Imperio tumultus extitiſſent, a Chriſtianæ Legis præconibus (uſitata jam, nec veteri primorum ſæculorum Eccleſiæ incognita calumnia) concitatos mentirentur. Unum videri, ſed anceps mali remedium, ſi Legatus a Luſitania, jam ſæpe non nullis vocibus deſideratus, ad Imperatorem Sinenſem mitteretur, qui ſub

ſub ſpecie gratulantis de conſcenſo nuper Sinici Imperii throno, mutuam inter Regem, & Imperatorem amicitiam confirmaret, aut procuraret, eadem opera Religioni conſulturus. Sed ad tanti rem momenti Macaenſium opes, viresque, tenues ad id tempus, & vehementer acciſas, minime ſufficere, & Legationem, ut rebus tam perturbatis mederetur, ſplendidiſſimam eſſe oportere.

Hæc perlata Ulyſſiponem, perlectaque in Tribunalibus, cum certæ ſpei nihil promitterent, expenſasque maximas flagitarent, ſenatum Regium in ſequiorem partem inflexere. Reſponſum communi conſilio, videri ab hac Legatione abſtinendum. Haud improviſum Reginæ reſponſum erat: ſed quod ex Indicis literis ſuis comperiſſet, Macaenſes, alios-

que non alia de causa, nisi ærarii inopia, ab hoc consilio abhorrere; serenissimum Filium, jam tum Lusitaniæ Regem, secum hoc negotium conferentem, in alia abduxit: vera quidem scribere Macaenses, tantis se sumptibus impares, affirmabat; sed quod privati non possent, Regem posse: nec alium forte opportuniorem Eidem fore, testandæ in causa Religionis Regiæ voluntatis suæ locum, quam si laborantem nunc, & pene depositam in Sinis rem Christianam, Regiis lacertis sustentaret. Reputaret secum, quot annis, quantis sumptibus Majores ipsius, Lusitaniæ Reges, aditum sibi ad Sinas, tot sæculis Europæis omnibus interclusum tentaverint, ut Christianæ Fidei lumen in hos etiam Orbis fines importaretur. Perrupta tandem ea claustra esse, &
Chri-

Chriſti nomen, ac fidem, cujus cauſa tantum laboratum eſſet, toto late Imperio diffuſum: æquumne igitur eſſet, tantum ſudoris, & ſanguinis, quantum in plantanda ibi, conſervandaque Religione Chriſtiana profuſum eſt, tot aras, & Ædes Deo ſacras, tot Chriſtianæ legis Magiſtros, tot animarum millia, Chriſto jam per Baptiſmum auctorata, ſumptuum cauſa deſtituere, & collectam ibi jam Chriſti Eccleſiam, tanquam firmis radicibus nitentem penitus in caſum dare? Occaſionem ipſi ultro præberi, tam ſancto conſilio opportunam: Sinarum Imperatorem non admodum diu Imperii ſolium conſcendiſſe, optaſſe non ſemel, eundem ſibi honorem in Imperii ſui aditu, quem Deceſſori ſuo a Rege Patre eſſe habitum meminiſſet, exhiberi, nihil convenien-

tius videri, quam si Ipse, post summam rerum in Lusitania ad se delatam, successionem in paterno solio Imperatori significaret suam, & novum illi Imperium gratularetur; amicitiam ad hæc offerret suam, & ejus vicissim sibi jucundam fore, declararet: officiis mutuis humana sæpe, Divinaque stabiliri, nec dubium videri, eam, quæ inter Ipsum, & Imperatorem conciliandа foret, gratiam, in Religionis etiam commodum, tametsi hujus nulla nominatim fieret mentio, exituram. Quod si etiam præter spem accideret, ut nulla Religionis Christianæ haberetur ratio, constiturum tamen dignum satis tot expensarum pretium, si toti orbi innotesceret, Lusitano Regi bono Religionis Christianæ nihil esse charius, ut in quod totas Regni opes profundere non dubitaret.

Au-

Audivit iſta Rex, & non charitati magis Reginæ Matris, quam rationi ceſſit. Legatum itaque ad Sinas deſtinat Franciſcum Xaverium de Aſſis Pacheco, comitatu Regio inſtruit, ſplendidiſſima munera, ſumptus ad iter neceſſarios, & quidquid ad tantum negotium pro dignitate gerendum faceret, ſuo ipſius ære prolixe ſubminiſtrat. Navem Legatus Februario Menſe Anni MDCCLII. conſcendit, & ſexto poſt menſe, ſecundiſſimis ſemper ventis, & proſpera cum ſuis uſus valetudine, Macaum attigit. Ab ejus adventu, miſſus continuo Pekinum curſor eſt ad P. Auguſtinum Hällerſtein, e Societate noſtra Provinciæ Auſtriacæ, Tribunalis Mathematici Præſidem, ut is Imperatorem de Luſitani Regis Oratore certiorem redderet, aditumque in Imperium,

& ad urbem Regiam eidem patefaceret. Annuit Imperator, gratumque habere visus id honoris officium, deducendi Pekinum Legati Regii provinciam eidem Hallersteinio, qui interpretis etiam vice postea in Aula fungeretur, alterique ex Mandarinis demandavit, edicta simul ad omnes provinciarum, quas transiturus Legatus esset, Pro-Reges data, ut Legatum hunc non tributarii, sed Amici, Lusitaniæ Regis, mensa Imperatoria, & omnibus, qui summorum Principum Legatos deceret, honoribus exciperent. Iter Legato prosperum, & frequenti magistratuum occursu, ad pompam insigne. Pekinum ingressus, ad Imperatorem summa magnificentia deductus est, acceptusque ab Eo tanta gratiæ, honorisque significatione, quanta ad eam diem

in

in Sinis visa non fuit. Tradita, acceptaque munera, & amicitia mutua inter Regem, & Imperatorem firmata: omnia sic acta, ut in spem maximam, & Lusitani, & Sinæ Christiani venirent. Legato post Macaum redituro reddita ab Imperatore ingentis pretii munera Lusitano Regi perferenda, & inita nuper amicitia novis promissis confirmata. Deductus eodem, quo venerat, comitatu Legatus, & magnis ubique honoribus exceptus, inclinante jam Anno MDCCLIII. sic, ut mense adhuc Decembri vela vertere in Europam posset.

Prævertêre ejus reditum læti harum rerum nuncii, Ulyssiponem aliis navibus anno sequente perlati, Aulamque Lusitanicam summa lætitia affecerunt; Reginam maxime viduam, quæ Religionis id negotium sibi velut proprium fecerat.

Et valebat illa adhuc tum quidem; ſed paulo poſt valetudine tentari cœpit, quæ illam ſenſim ad extrema deduxit. Fructus quidem ejus legationis is extitit, ut & Chriſtianum nomen æquioribus animis apud Sinas audiretur; ſed breviſſimo tempore. Poſt diſceſſum enim Legati, potentiores in Aula Mandarini, ea Luſitani, ac Chriſtiani nominis apud Imperatorem gratia offenſi, & doctrinæ ſuæ, qua tumere ſolent, opinioni, a Chriſtianæ legis doctoribus male veriti, in religionis Chriſtianæ odium vehementius exarſerunt, ſolitisque artibus apud Imperatorem inſtiterunt, ne quid de feralibus edictis mutaretur. Sed conatus hos impios Divina Clementia ſerius, ocius, ut ſpes eſt, elidet. Regina tamen, ut, quem in vita geſſerat erga miſſiones has animum, ne
cum

cum vita quidem posuisse se ostenderet, in supremæ voluntatis suæ tabulis, missioni Sinensi, ac Japonicæ sexaginta florenorum millia legavit, Ulyssipone in Domo Monetaria ad censum perpetuum elocata, ne quod unquam tempus esset, quo per inopiam vinea hæc Evangelica operariis destitueretur.

CAPUT XVII.

Prævia ad mortem comparatio.

Quamquam tota Reginæ nostræ vita jugis ad mortem præparatio videri posset, nullaque illi fluxerit, qua non instantis sibi fatalis horæ se ipsam admonuisset; multis tamen ante obitum annis, quanquam valetudine uteretur prospera, nec ætatis tanta inclinatio, vel ex vultu, vel ex incessu appareret, nihil illi frequentius in ore erat, ac mortalem se esse, se-

rius, aut citius rationem Deo publicæ, privatæque vitæ reddituram: atque utinam (ajebat: ducto ex imo pectore suspirio) utinam sic reddam, ut fidelis Deo reperiar! Hoc fine sacerdotem, quo ad componendas, explicandasque conscientiæ rationes utebatur, certis quotidie horis adesse sibi voluit, cum quo, quæ seu acta essent, seu agenda, conferret omnia, ne quæ humanæ rationes sibi fucum facerent, & sub æquitatis specie sequiorem in sententiam abducerent. Provocabat deinde ultro, libere ut edisseramus, si quid minus recti, vel in se, vel in iis, quæ ad se propius pertinerent, a nobis animadversum esset; ajebatque muneris id esse nostri, quorum fidei curam animæ commisisset suæ, monere de singulis, quæ vel agenda, vel fugienda a se exigeret Deus. Jam vero humanorum ca-

su-

ſuum incerta, primas ubique inter curas habuit, ne confeſſarii ſui præſenti auxilio, ſi quid humanitus ſibi accideret, uſquam deſtitueretur. Nullum iter vel paululum longius ſuſceperat, quo non comitem ſibi illum adeſſe juberet: Si trajiciendus Tagus erat, eodem illum navigio recipi oportebat, ne vel tantillo in periculo ſine ejus auxilio eſſet.

Supremam horam cum tam alte defixam animo ſemper circumferret, mirum non eſt, omnia pietatis opera hunc ſpeciatim ad finem ab illa fuiſſe directa, ut eam ſibi felicem, & ſecuriorem vitæ ſempiternæ redderet. Cum in preces ſe daret, hanc ſibi beatæ mortis a Deo gratiam, interventu, quos præcipuo venerabatur cultu, Sanctorum exorabat: cum in arcano judicio ſacerdoti ſe ſiſteret, vicaria

ria Dei poteſtate abſolvendam, ita conſcientiæ nævos omnes, & maculas delere ſatagebat, ut ſi impetrandæ a Deo veniæ locus ſibi deinceps nullus in hac vita alias ſupereſſet: cum Divina dape ſe reficeret, famem ita explere ſuam cupiebat, ut ſi ad magnum illud æternitatis iter cæleſti ſe viatico ſupremum communiret: ſuſcepto hoc ſacramento nihil ardentius a Deo flagitabat, quam ut in cælo ſe ſibi æternum conjungeret, & quem ſub panis nunc ſpecie velatum videret, is ſe revelata facie ſua, in gloria fruendum tota æternitate ſibi exhiberet. Hoc fine lectitabat identidem pios libellos quoſdam, qui artem hanc moriendi profeſſo ſtudio docerent; nec familiarior illi hoc tempore lectio erat, vel exercitatio, ac quam Petrus Pinnamonti de præparatione ad

ad bonam mortem ſacris exercitiis ſuis adjecit.

Hæc tam ſeria, tam frequens mortis meditatio, Reginam tamen non moroſam, non triſtem, id quod multi verentur, ſed ſtrenuam magis in ſancto propoſito, & ad cumulanda ſibi apud Deum merita attentam reddebat: & illa exigui brevitas temporis, quam præcipiebat animo, acres tantum ſubjiciebat ſtimulos, ad ea, quæ ſeu ad Dei gloriam, ſeu ad ſuorum ſolatium agenda reſtabant, maturius exequenda; nil enim illa, vel extrema adhuc ætate, in conſuetudine comius, ac facilius: tam molles erant ad eam aditus, tam benignum alloquium, ut redimere his tempus, quod in arcto poſitum jam erat, ad ſolandos ſuorum animos, & ultimis beneficiis demerendos videretur. Et vero ea una cu-

cura Reginam nunc tenebat, ut nihil, quod factum ante obitum suum vellet, imperfectum maneret. Habebat pro Reginarum Lusitaniæ instituto, ampla per Lusitaniam, Brasiliam, & Goam vectigalia, & Principum more terras proprias, quas ipsa constitutis locorum Magistratibus, & Præfectis, nominatis etiam Ecclesiarum quarundam Parochis, per se regeret, & unde Aulæ suæ magnificentiam tueretur. Habebat præter supremos Aulæ, & Regis Equilis Præfectos, Camerarios primi ordinis, Secretarium status, seu Cancellarium, Senatum ipsa suum e consiliariis, & subinde horum ministris conflatum. Habebat in Palatio, & comitatu suo numerosam nobilium Virginum, ac Matronarum multitudinem, quæ seu ad honoraria, seu ad familiaria obsequia il-

illi præſto erant, quibus ſuprema Aulæ ſuæ Præfecta, & e prima Regni nobilitate ſpectatiſſimæ Matronæ accedebant. Sed enim annua ſtipendia, & quæ in alendam familiam tam numeroſam, in cultum Divinum, ac pias cauſas, in egentes, præſertim orphanos, & viduas quotidie, pro inexhauſta ejus in miſeros pietate, expendenda erant, annua, quantumvis ampliſſima vectigalia facile abſumebant. Optabat igitur pientiſſima Regina, ut eſſet, unde ſua in cultum Divinum, & pias cauſas ſtudia perpetua redderet,& fida ſuorum obſequia etiam a morte remuneraretur. Sed enim tam juſta Reginæ Matris vota ſereniſſimus Rex Filius, pro incomparabili ſua in eam obſervantia, ac pietate fruſtrari non eſt paſſus, ſed trecentorum millium florenorum libe-

liberale donum eum in finem, ad vectigalium fructus annuos adjecit. Hac tanta accessione aucta, cum jam expuncta nosset, quæ interdum facienda erant, nomina, ad renovandum, aut condendum mox ex integro testamentum animum adjecit, confectumque, octobri mense Anni MDCCLIII. obsignavit.

Supremæ hæ voluntatis tabulæ, quemadmodum piæ, sanctæque Reginæ imaginem ipsis, quibus conceptæ sunt, verbis exprimunt, ita sine tenero pietatis sensu legi non possunt. Nullum in Deum, ac superos, nullum in Regem conjugem, Filiumque Regem, ac Sobolem Regiam pietatis officium, non ad vivum expressum, nullum Regiæ Clementiæ, beneficentiæ, memorisque fidelium obsequiorum animi in suos testimoni-

nium prætermiſſum. Cum Deo procreatori animam commendaſſet ſuam, hæredem declaraſſet ſereniſſimum, ac Fideliſſimum Regem, JOSEPHUM Filium, MARIAM BARBARAM, Hiſpaniarum Reginam Catholicam, & Sereniſſimum Luſitaniæ Infantem PETRUM; de ſe ea præfata eſt, quæ Chriſtiana conciperet humilitas, dictaret modeſtia, Pietas loqueretur. Defunctæ corpus detegi, lavari, proſecari vetuit, corde ſolum excepto, quod citra aliarum partium detectionem, modeſte eximi, & Viennam deportatum, exuviis Auguſtiſſimorum Parentum, venerationis, & communium ſuffragiorum cauſa, jungi voluit. Sepulturæ locum primo deſtinarat eum, quem Fideliſſimus Rex, & conjux JOANNES V. ſibi delegiſſet: ſed quod is nullum ſibi diſer-

te designasset; statuit Regina, corpus suum, ut religiosa sui memoria in perpetuum haberetur, in novo sacello, Ecclesiæ S. Joannis Nepomuceni apud Germanos Carmelitas in hunc finem erigendo, terræ mandari; interim vero, dum operi summa manus accesserit, ad majoris aræ latus sinistrum, suo in feretro deponi. Ex argenti summa, expensis aliis residua, quo merita sibi apud Deum, & pia multorum suffragia cumularet, multa florenorum millia, in stipendia sacerdotum, in captivos, in proles exposititias, in pauperum eleemosynam, in sodalitia, in Missiones Indicas, & Ursulinarum Virginum conventum decrevit. Non minorem summam, qua gratam sui memoriam etiam post mortem conservaret, & obsequia sibi præstita remuneraretur, in Matronas præci-

puæ

puæ nobilitatis, quæ ſumma Aulæ ſuæ officia obiviſſent, in cubicularias deinde, & familiares alias, exteros denique plures, Reginæ obſequiis fideliter hactenus occupatos deſtinavit, quæ ſimul omnia trecenta facile florenorum millia conficient.

Cura ea magno ſolatio perfuncta, in eo jam erat, ut, quæ ſereniſſimos Filios, ac Reginam Catholicam, pro materna pietate, monitos ſupremum cuperet, literis conſignaret. Sed is conatus intra vota ſtetit, tam illuſtri maternæ, Regiæque pietatis mnemoſyno, tametſi inter manus ſæpe verſaretur, ſiniſtra primum valetudine, tum morte ipſa intercepto. Dubitari non poteſt, ſi ſumma manus huic maternæ voluntatis piiſſimo monumento acceſſiſſet, in theſauri loco habendum fuiſſe a sereniſſimis Liberis, qui Reginam Ma-

trem tanta ſemper veneratione proſequi ſolebant, quanta majorem haud ſcio, an ulla in gente parentibus liberi deferre conſueverint. Regem ipſum, jam rerum potentem, & Regni Dominum, ſatis conſtat (id quod ſumma cum admiratione ab omnibus acceptum eſt Regiæ in Matrem obſervantiæ exemplum) diem omiſiſſe nullam, quin mediis in negotiis, & Regni curis, ipſiſque adeo Aulæ Primoribus expectare juſſis, bis quotidie Reginam Viduam adiret, manumque maternam pio oſculo veneraretur.

CAPUT XVIII.

Pia mors Reginæ.

Valetudine ad id tempus, ſemper uſa & proſpera, & firma Regina noſtra, & ſtatum corporis erectum, & cultum, & colorem vividum, & quam ſemper cum ma-

majeſtate conjunxerat, oris gratiam, ad vitæ, mortisque confinia uſque retinuit: ſic, ut intuentibus quinquagenaria major nec in ſenectute videretur: id quod adjecta effigies, ſuprema Ejus ætate coloribus expreſſa, & nunc ſcalpro excuſa, facile demonſtrabit. Medicamentorum, niſi quæ obvia, & leviuſculis tantum valetudinis incommodis opportuna, uſus pene nullus, ſic, ut tranquillam illi ſenectam, annoſque plurimos plerique pollicerentur. Sed enim anno ſæculi hujus quinquageſimo tertio, vitæque ejus ſeptuageſimo exeunte, moleſto capitis dolore afflictari cæpit, qui deinceps, tametſi a ſolitis eam pietatis officiis, quæ ejus erat in ſancto propoſito conſtantia, impedire non poſſet, nunquam ex toto remiſit. Mali cauſa a ſuppreſſo ſanguine, qui ſe aliquot jam annos

per hæmorrhoides leniter exonerarat. Quæ remedia a Medicis afferebantur, aut incertæ ſpei erant, aut inuſitata. Quare ad alias reparandæ valetudinis rationes verſi, Reginæ ſuadent, ut ex urbe digreſſa, campis patentibus, hortis, ac cælo imprimis liberiore uteretur, eaque velut ruſticatione, & capiti, & ſanguini ſtagnanti mederetur.

Id conſilium cum Regi imprimis Filio probaretur, qui pro incomparabili in Matrem pietate, non ſuæ magis, quam ejus vitæ rationem habebat; annuit demum Regina, & Palatium ſibi in Bellem, olim a ſe habitatum, urbi propinquum, & fontibus, hortis, ac arboretis amæniſſimum, nec magno tamen intervallo, a Palatio Regis diremptum elegit: quo & ab Rege Filio non abeſſet longius, & in pro-

propinquo haberet Dominicanarum Virginum, ſibi dudum chararum, Religioſum Cænobium, de *Bono ſucceſſu* dictum, ad quod Divinorum cauſa, pro ſolita pietate ſua, quotidie ſe conferret. Loco interim pro Regina, Regioque comitatu, opportune inſtructo, & apparato, Kalendis Julii poſt meridiem eo commigravit, & ſalutato primum æſtivo in Palatio Rege Filio, ad ſua ſe conclavia, ut ajebat, *breviſſimo tempore* Regali hoſpitio fruitura, ſe recepit. Excepta tum quidem ea vox eſt; ſed quod nec in vultu, nec in inceſſu ullum ſe ſequioris valetudinis indicium proderet, inſuper habita, nec in omen tracta: præſertim cum de priſtino more, & conſuetis pietatis officiis, quæ apud Religioſas laudati Cœnobii Virgines quotidie obibat, nihil immutaret.

Vix dies octo hoc in secessu exegerat, cum relevari se capitis dolore, tenuari spissum sanguinem, & resolutum usitata jam via minui sensit. Ingens inde tota Aula gratulatio; sed mox in lamenta, & planctum abitura. Cum enim concitatior jam sanguis exitum semel reperisset, verso in perniciem remedio, destillatione tam crebra, ac vehementi, tantam contraxit Regina virium debilitatem, ut vigesima tertia die Julii mensis codicillum testamento adjiceret, & lecto se committendam putaret. In re trepida, ingens per Aulam fit concursatio, vocantur in consilium, quotquot a Regis obsequiis erant, Medici, omne discrimen adesse pronunciatur. Ergo cum vires indies diffluerent, vigesima sexta Julii, quæ festa S. Annæ, Christi Aviæ, & dies erat nominis Reginæ,

com-

commodumque in feriam ſextam, S. Xaverii annuæ pietati ab eadem dictam, inciderat, præmiſſa exomologeſi ſacra, Divino viatico ab Eminentiſſimo Cardinali Patriarcha de Atalaia, præſente, ac deducente Rege Filio, cum ſereniſſimis Luſitaniæ Infantibus, Petro, Antonio, Emmanuele, communitur. Qua religione, quo ardore, qua in præſentem ſibi Deum, ac Dominum fide, qua in Chriſti merita fiducia, quam accenſa, ex tantæ bonitatis, ac dignationis conſideratione, charitate, ſe ad ſumendum tantum myſterium compararit, quam humili fiducia Divinæ ſe ejus miſericordiæ commendarit, conjicere inde licet, quod hoc primum illi, & maximum, & unum pene tota vita fuerit ſtudium, ut ad Actum, ut ſic dicam, hunc ultimum, ex quo penderet tota æterni-

nitas, tota ſe animi contentione præpararet.

Actis poſt ſuſceptum ſanctiſſimum Chriſti viaticum Deo pro tanto beneficio gratiis, cum Rex Fideliſſimus Matrem iterum inviſeret, obtulit illi Regina Mater Teſtamentum, & Codicillum ſuum apertum, & ſua manu conſignatum, quod Regis, ac Filii opera, exequenda omnia minime dubitaret. Quæ in eo congreſſu, pro mutua inter ſe pietate, geſta, dictaque ſint, quæ nominatim Regi, ſui ſemper obſervantiſſimo, à Matre Regina commendata, quæ pia monita ab ea, quæ loqui, niſi ſancta non poterat, Regis animo inſcripta ſint, conjicere pronum eſt, & reverentius neſcire. Pari ſtudio, ac voluntate ſubinde animi ſui ſenſa, & tenerrimam Matris pietatem in alterum ſereniſſimum

mum Filium Petrum, & ſereniſſimam Reginam, Nurum ſuam, & quatuor Neptes Regias, ejus caſu afflictiſſimas, exprompſit. Idem officium paucos poſt dies literis manu mea ſcriptis, ſed ſua ſubſcriptis, ſereniſſimæ Filiæ Hiſpaniarum Reginæ, Regique Catholico, Genero ſuo, præſtitit, quod ingens virium imbecillitas ſcribendi laborem non ferret, & verba ei ægre occurrerent, quæ amorem, ac deſiderium chariſſimæ ſibi Filiæ æquarent ſuum. Pro ſe illud tantum intenſiſſimis precibus oravit; ut animam ſuam propediem e corpore migraturam Divinæ pietati, ac miſericordiæ commendarent, & ſanctam ſui memoriam perpetuo conſervarent.

Interea ſanguinis illa intemperies in horas ita augebatur, ut fatiſcentibus ſenſim viribus, ſacro ce-

romate, ſupremum ungenda Regina videretur. Id vigeſima octava Julii factum, ſed tanta Reginæ animi præſentia, ut ad ſingula ſacri illius ritus verba pro ſe ipſa reſponderet. Sed quod nondum ſpes omnis producendæ aliquamdiu vitæ evanuiſſet, ad conſilia a Medicis eſt reditum. Sanguinem iterum inciſa vena detrahere, ex re viſum; ſed eventus conſilio non reſpondit. Semel, iterum, tertium, ac quartum tentata res eſt; ſed ſucceſſu tam improſpero, ut inſolitus languor corporis, & conſecutæ jam quædam leviores mentis aberrationes triſte indicium facerent, artis præſidia una cum fractis corporis viribus procubuiſſe. Nulli tamen induſtriæ parcebatur, ut vitam Reginæ, ſi retinere non poſſent, dies tamen aliquot prorogarent. Bini quotidie, diu, noctu-

ctuque Medici aſſiſtebant; ſemel, ac iterum quotidie communi plurium conſilio de remediis actum. Et dilata quidem mors in paucos dies eſt; ſed ad reparandas amiſſas vires nihil in his opis fuit.

His tamen velut induciis, ad augendum meritorum ſuorum cumulum uſa ſuo more Regina, tempus id omne in lucrum animæ vertit. Ut enim rebus Divinis afficiebatur unice, ita hoc rerum articulo nullum momentum ſine merito effluere patiebatur. Nullo non die ego, ſæpe etiam ſecundo P. Antonius Focki, Gynæcei ſacris obſequiis addictus, in Ejuſdem cubiculo, ad erectam ibi aram, ante Chriſti Domini e cruce pendentis ſimulacrum, e ligno elaboratum, ſed Reginæ ſemper ſummo in pretio, & veneratione habitum, ſacrum fecimus, Regina ſolenni

ſibi

ſibi pietatis ardore ad omnia ſemper attenta, & ſuas cum ſacerdote preces ſingulari fervore ſæpe conjungente. Quarta Auguſti die, ſancto Dominico ſacra, cœleſti illam dape, quod id ſummo futurum ſolatio Reginæ ſcirem, decumbentem refeci: & quod in memoriam ſibi ſæpe revocari ultro petiit, ut ad omnia Divinæ mentis de ſe conſilia libens deſcenderet, & arbitrii ſui jus omne in jus, ac arbitrium Numinis transferret, monui. Id quod Regina tam prolixe præſtitit, ut Divinæ voluntati non in vita magis, quam morte placidiſſime acquieſceret. Quod valetudinis incommoda leniret, memoria erat patientis Domini, ac ſervatoris ſui: cujus dolores, ac cruciatus cum pientiſſime ſecum expenderet, prælegi tamen hos ſibi identidem optabat, quo ad diffici-

ciliora etiam his auditis confirmaret animum, & trita ab eo patientiæ via, per ejus velut vestigia ad cælum contenderet.

Nec longe jam ab illo aberat, cum tertia ante obitum die, disertis me verbis moneret, se uti in pervigilio natæ Virginis natam, ita pridie ejusdem in cælum Assumptæ ex hac vita migraturam. Et similia sæpe verbis aliis edixerat, etiam ante suum in Bellem exitum, sic, ut fidem habere possem, se hoc lumine altiore didicisse; ne vero opinionem hanc confirmarem, & fortasse in re, quæ somno, aut imaginandi vi solum nata esset, meo assensu, aut interrogandi solicitudine, Reginam de certo ex vita abitu indubiam facerem, apud me curas has dissimulandas putavi. Interea, etsi industriis aliis, a me præstandis non peperci, eventus fi-

fidem Reginæ verbis conſtitiſſe docuit; nam uti pervigilium natæ Virginis, mortalis illi vitæ dies prima fuit; ita pervigilium Aſſumptæ in Cælum Virginis, mortalis vitæ ultima, aditum illi ad beatam immortalitatem reſeravit.

Interea non tam triſtis rumor, quam communis in Reginam amor Regni Nobilitatem omnem excivit. Plenum erat quotidie magnorum hoſpitum Bellemenſe Palatium, cum pallore, & gemitu de Reginæ ſalute anxie percunctantium. Hos inter imprimis Regum Legati erant, ipſeque adeo Eminentiſſimus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Nuncius, Lucius ex Marchionibus de Tempi, qui Reginæ etiam per eam occaſionem, Pontificiam, quam vocamus, generalem abſolutionem, & indulgentiam impertivit. De Rege, totaque ſereniſſima Fami-

mi-

milia, generatim dixiſſe ſatis ſit, nullum neque amoris, neque officii genus, quod pietas Filii exigere poteſt, toto eo diuturnæ invaletudinis tempore fuiſſe prætermiſſum. Nulla dies fuit, qua non prandenti, ac cænanti aſtitiſſent, horasque nunc ternas, nunc quaternas Reginæ ſolatio impendiſſent. At in urbe quis ſenſus eſſet hominum de illa, aut triſte ſilentium, aut erumpens interdum in gemitum dolor ſatis declarabat. Nulla ætas, nullus ſexus, nullus hominum ordo erat, quem non triſtis orbitatis metus ſolicitum tenebat: concurrebatur ad omnia urbis Templa, & velut in publico diſcrimine, omnibus locis, & preces, & vota fiebant: tenerior ætas ipſa non ſine ſenſu publici luctus fuit. Audiebantur non pueriles multorum voces: Oremus Deum, ſancta Regina, &

Mater noſtra in extremis eſt; nec defuere, qui dicerent, Regni ſalutem a Reginæ vita pendere. Tam eximia erat de nota ejus virtute, & ſanctitate inter omnes opinio.

Sed enim, qui tantam virtutem jam cælo maturam ducebat Deus, populi hæc vota non exaudivit. Quarta decima dies Auguſti, eademque pervigilio Aſſumptæ in cælum Dei Parentis Virginis religioſa vix illuxerat, cum manifeſta ſe indicia proderent, vera dixiſſe Reginam, & hanc diem ſibi in hac vita fore ultimam. Sacrum ea die de more auditura, viribus ita deſtitui cœpit, nullis ut ſorbitiunculis, aut fomentis revocari deinceps poſſent, ab ingraveſcente in momenta imbecillitate, tandem ſub mediam quartam pomeridianam ad extrema deduceretur. Nihil interea eorum, quæ huic rerum ar-

articulo opportuna, omiſſum eſt. Suggeſta a me, quæ ad animum Fide, Spe, ac Charitate cum Deo conjungendum facerent, propoſita ea, quæ fiduciam in Chriſti meritis augerent, totius vitæ errata, renovato ſemel, ac ſæpius pœnitentis animi dolore, expiata, revocata in memoriam Pontificum facta noxarum omnium condonatio, Sanctorum patrocinia ex ritu Eccleſiæ religioſe invocata: cum tandem Regina, quaſi ad ſomnum compoſita, non violenta nervorum contorſione, ſed leni anhelitu, commendatam a me ex Eccleſiæ præſcripto animam Deo reddidit, poſt mediam quintam, pridie Feſti Aſſumptæ in cælum Virginis, feria quarta Anni MDCC LIV.

Aſtitere præter me Reginæ morienti quatuor e ſocietate noſtra Sacerdotes, ſacris omnes muniis ad

Aulæ obſequia occupati, qui & ſolennes Eccleſiæ preces, pſalmosque ad emigrationem animæ dici ſolitos ad præſentem coronam Aulicam religioſe perſolverunt. Ego, qui migrantem adjuvabam, ſolennibusque Eccleſiæ verbis egreſſæ beatæ ejus animæ æternam in cœlo requiem precatus eram, atque Regiam dexteram repetito pacis oſculo venerabar, eadem me, qua non nullos Sanctis decedentibus aſſiſtentes affectos legimus, interiori, neſcio, qua lætitia, & certa ſpe perfuſum eſſe ſenſi, ut nulli dubio locum, ſed tutum, certumque haberem, ſanctam Reginam non jam ſuffragiorum indigam, ſed deprecatricem apud Deum a me coram interpellandam eſſe.

Vix oculos in mortem clauſerat Regina, cum Rex Fideliſſimus cum Sereniſſimo Fratre, triſti nuncio

cio jam antea excitus affuit, & in genua proſtrati ambo, inter effuſas lachrymas, Matris Reginæ manum ſupremum exoſculati, in preces ſe dedere. Idem imitati, quotquot ad interiora Palatii admitti potuere. In urbe vero, & toto ſubinde Regno, quo obitus ejus nuncii perlati ſunt, luctus, & comploratio tanta extitit, ut non alienam, ſed ſuam quisque orbitatem, lugere videretur. Una omnium vox erat: Reginam ſe amiſiſſe ſanctam, & qua nulla propius ad ſanctæ Eliſabethæ, Reginæ quondam Luſitaniæ, ſimilitudinem acceſſiſſet: alii ea ſe ſpe ſolabantur, quod ejus potenti apud Deum interventu, juvandos ſe deinceps quoque confiderent.

Interea Rex Fideliſſimus Teſtamentum, ac Codicillum defunctæ Reginæ Matris in Procerum

Senatu a Secretario ſtatus publice legi juſſit, laudatumque, ac probatum confirmavit. Collata mox ad rem opera, ſub veſperum adhuc ejus diei, præſente ſuprema Aulæ Præfecta, & cubiculariis, exſectum ea cautione Reginæ cor eſt, nihil ut reliqui corporis pateret. Lotæ ſubinde cum facie manus, caput uſitata Reginæ Viduæ calantica, corpus reliquum ſericea cinericei coloris veſte, qualis fere Religioſis S. Franciſci Virginibus in uſu eſt, coopertum, indita manibus cruce cum Roſario, in lecto collocatum; dum poſtridie auguſtiori in ſuggeſtu cum Corona Regia, ad ſupremum accurrentis populi ſolatium, & venerationem, in vicina Palatii Aula proponeretur. Omnia ibi ex more acta: accenſa numeroſa ibi luminaria, & inter alternantes Religioſorum Ordinum

num choros, ſibi ordine ſuccedentes, divina pſalmodia celebrata. Sub veſperum corpus Reginæ jam mortuali in loculo compoſitum, Regia, ſed lugubri magnificentia in urbem devectum eſt, & Carmelitis Patribus Germanis ex ultima Reginæ voluntate traditum. Suſceptum ab iis ſolenni honore, & ad latus ſiniſtrum Aræ majoris, una cum corde, ſeparato in capulo, ſolennibus ceremoniis interim depoſitum, dum ſacelli ſtructura, ubi perpetuo deinceps quieſceret, abſolveretur.

Exequiæ, urgente Rege, apparatiſſimis honoribus, & ſumptuoſis cenotaphiis, per omnia urbis Templa, magnificentiſſime celebratæ ſunt: diſtributa in pauperes largiſſima eleemoſyna, ſacrorum maximus numerus, & Reginæ defunctæ voluntate, & Fideliſſimi

Regis pia liberalitate in dies proximos indictus: quod pietatis in defunctam Reginam officium ad omnes subinde, non Lusitaniæ modo, sed Brasiliæ etiam, & Indiæ Ecclesias propagatum est. Nec minore splendore Madriti, & alibi in Hispania Rex Catholicus, & serenissima Regina, defunctæ Reginæ Matri parentarunt. Eundem honorem Maria quoque Theresia, Imperatrix Augusta, & Regina, serenissimæ Amitæ suæ habuit, erecto Viennæ in Templo Aulico magnificentissimi operis cenotaphio, justisque funebribus apparatissimo honore celebratis.

Tandem ut Cor etiam tantæ Reginæ Viennam Austriæ perferretur, ad Augustissimorum Parentum Leopoldi Magni, & Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ venerandos cineres adjungendum, in-

ex-

expectata plane dignatione, meæ id fidei, ut qui pluribus annis Reginæ, Matri ejus, ſacris ab obſequiis, & arcanæ pœnitentiæ adminiſter fuiſſem, a Sereniſſimo, & Fideliſſimo Rege commiſſum eſt. Quare decima ſexta Septembris, illud, ut erat plumbea clauſum lamina, ac in calice argenteo probe inaurato, & Corona Regia redimito repoſitum, & ſera munitum, e tumba exceptum, & meas in manus eſt conſignatum. Tanto pignore ſecurior jam mihi longum iter ingredi videbar, & propitiis etiam ſuperis ſub exitum Novembris illud Viennam attuli. Id cum Auguſtiſſimæ Imperatrici, ac Reginæ noſtræ coram ipſe cum Ambroſio Freire de Andrada, Fideliſſimi Regis Miniſtro hujate expoſuiſſem; RR. PP. Capucinis in urbe, ejusdem Auguſtiſſimæ man-

dato illud tradidi. Res ſolenni ceremonia acta eſt; præſente Antonio Xaverio Epiſcopo, Archi-Epiſcopi Viennenſis, nunc Eminentiſſimi S. R. Eccleſiæ Cardinalis, Vicario, Cleroque Aulico, & numeroſo Aulæ Cæſareæ Primorum Ordine, reſeratus, præſente laudato Fideliſſimi Regis Miniſtro, a me calix, Corque Reginæ, ut erat plumbeæ incluſum laminæ, palam exhibitum eſt, & in crypta Cæſareæ ſepulturæ apud laudati Ordinis Patres cum honore depoſitum, adjectaque ſubinde eleganti inſcriptione, ad magnificentiam ſimul, & majeſtatem exornatum. Hunc ad honorem, alium pro religioſiſſima pietate ſua adjecit Imperatrix Auguſta, & redeunte anniverſaria obitus ſereniſſimæ Amitæ ſuæ memoria, decima quarta die Auguſti, eadem in crypta, poſt

per-

peractum a Sacerdote funebre pro ea ſacrificium, incruentam & ipſa Agni immaculati Hoſtiam ſuſcepit.

Atque hæc ſunt, quæ de Clementiſſima Domina mea, ſereniſſima nuper Luſitaniæ, & Algarbiæ Regina, ſcribenda habui, tot annorum uſu certa mihi ſcientia comparata, & in publicum vulganda: nec enim poſt meum e Luſitania diſceſſum occaſio fuit, plura e domeſticis Reginæ, aut familiaribus diſcendi, quæ meam aut notitiam, aut memoriam effugere: nec conſultum putavi, ea, quæ incertis authoribus, eximia licet, & ad memoriam ſingularia, de illa ferebantur, mea facere, ne incerta certis miſcendo, commeritas Reginæ laudes, non tam augerem, quam corrumperem. Quanquam vel ex his, quæ retuli, ſatis argumenti eſ-

ſe

ſe poſſit, ad Sereniſſimam MARIAM ANNAM, Luſitaniæ nuper Reginam, inter illuſtriores virtute, ac ſanctimonia Principes, quæ poſtrema hæc noſtra ornarunt ſæcula, jure numerandam.

O. A. M. D. G.

IN-

INDEX.

CA-

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

CAPUT XVIII.

ERRATA.

Pag. 13.	lin. penult.	potiorqueu.	*Lege:* potiorque.
30.	lin. 18.	Emiaenciſſimo	Eminentiſ-ſimo.
	19.	nuguſtiſſimo	Auguſtſ-ſimo.
31.	lin. 12.	Aſorores rchi-Duces.	Sorores Archi-Duces
102.	lin. 19.	Septennis	Septenis
113.	lin. 16.	perſpectius	perfectius.
147.	lin. 16.	de morb-	de morbi
	17.	cii	cibos.

&c. &c.